COELIBATUS ECCLESIASTICUS

IN

HISPANIA

ab Ecclesiae initiis usque ad saeculum VIII

DISSERTATIO HISTORICA

QUAM

FACULTATI THEOLOGIAE UNIVERSITATIS FRIBURGII HELVETIORUM

PRO DOCTORIS GRADU RITE AC LEGITIME OBTINENDO

OBTULIT

Fr. Carmelus Goñi, O. M. C.

PAMPILONAE
Ex Tipis Dioecesanis
1914

COELIBATUS ECCLESIASTICUS

IN

HISPANIA

ab Ecclesiae initiis usque ad saeculum VIII

DISSERTATIO HISTORICA

QUAM

FACULTATI THEOLOGIAE UNIVERSITATIS FRIBURGII HELVETIORUM

PRO DOCTORIS GRADU RITE AC LEGITIME OBTINENDO

OBTULIT

Fr. Carmelus Goñi, O. M. C.

PAMPILONAE
Ex Tipis Dioecesanis
1914

NIHIL OBSTAT
FR. COELESTINUS AB AÑORBE, O. M. C.
CENSOR ORD.

IMPRIMATUR
FR. ILDEPHONSUS A CIAURRIZ, O. M. C.
MIN. PROV.

NIHIL OBSTAT
J. XAVERIUS GOROSTERRAZU, C. SS. R.
CENSOR.

IMPRIMATUR
† **FR. JOSEPHUS,**
Episc. Pampilonensis

Ex mandato Domini mei Episcopi,
DR. EMMANUEL LIMON,
CANONICUS SECRETARIUS.

INDEX

PRAEFATIO

Patens et apertum est omnibus, qui studio historiae ecclesiasticae Hispaniae tempore Visigothorum incumbunt, ipsam adhuc in tenebris volvi. Verum quidem est scriptores qui sive historiam generalem Ecclesiae, sive peculiarem Hispaniae faciunt, nobis narrare eventus generales potioresque, qui ab initio Ecclesiae usque ad Visigothorum imperii eversionem in Hispania acciderunt. Christianismi introductio, Osius, Priscillianus, Barbarorum incursiones aliaque ab omnibus scriptoribus describuntur, omnibusque nota sunt. Quis vero scriptorum nobis narrat docetque vitam, si ita dici potest, internam christianorum et praecipue clericorum in Hispania Visigothorum tempore? Fateor me nullum cognoscere. Hac de causa institutio clericorum atque educatio, eorum vivendi ratio, disciplinae, quibus ipsi vacabant, episcoporum clericorumque electio atque sacratio, Sacramentorum existentia et receptio &. in tenebris sunt. Audeo igitur dicere et affirmare veram historiam ecclesiasticam Hispaniae tempore Visigothorum adhuc desiderari.

Optandum est atque sperandum ut cito surgant homines scientia pollentes, studiique partium expertes, qui hanc contexere historiam aggrediantur, qui non solum externos eventus, sed et internam vitam, non tantum corpus, sed etiam animam Ecclesiae Hispaniae depingant describantque.

Ad hujus historiae constructionem concurrere pro viribus meis peroptans, statui, Deo juvante, his vacare studiis, atque praesertim rationem vivendi clericorum investigare.

Alia ratione praeterea impellor moveorque, ad his quaestionibus vacandum atque opusculis eas edendum. Volo enim atque peropto ut scriptores historiam generalem Ecclesiae

texentes, has quaestiones hosque eventus facilius veriusque pertractare possint; facilius quidem, quia horum opusculorum et notitiarum in eis contentarum usum facientes, non indigent unamquamque quaestionem singulariter, data opera atque consulto inquirere; verius, nemo enim non videt eum, qui generalem texit historiam, non posse singularem quaestionem investigare, aeque ac illum, qui eidem quaestioni se circumscribit, omneque suum studium in ea collocat. Meum igitur propositum meumque desiderium est scriptoribus historiae sive generalis Ecclesiae, sive peculiaris Hispaniae opem ferre, atque eos pro viribus meis adjuvare.

Oculis igitur vestris hodie propono historiam coelibatus ecclesiastici in Hispania usque ad eversionem regni Visigothorum saeculo VIII. In hoc opusculo expono legislationem circa coelibatum ejusque observationem, difficultates et obstacula ejus observationi opposita &.

Hanc partitionem divisionemque ei dedi. Complectitur atque concluditur *Introductione* et *quatuor capitibus*.

Nullum possidemus documentum nullumque testimonium circa coelibatum in Hispania usque ad annum 300. Coelibatus ergo Historia atque vicissitudines in Hispania eaedem fuere ac in aliis Ecclesiae regionibus. Quamobrem justum fuit et consentaneum quamdam praemittere *Introductionem* de coelibatu in tribus primis Ecclesiae saeculis agentem. Caeterum hanc *Iutroductionem* alia ratione necessariam judicavi; nempe res ipsa postulat, ut, priusquam de introductione coelibatus in Hispaniam agam, quasdam notiones praemittam circa originem ejusdem coelibatus. *Introductio* ergo amplectetur historiam coelibatus, ab initio Ecclesiae usque ad annum 300. In ea exponam diversas sententias circa coelibatus originem, meamque indicabo sententiam.

Deinde opusculum in *quatuor capita* distribui, ut dixi.

Caput primum narrat historiam coelibatus ab anno 300 usque ad annum 400.

Caput secundum ab anno 400 usque ad annum 500.

Caput tertium ab anno 500 usque ad annum 589.

Caput denique *quartum* ab anno 589 usque ad annum 712.

Unumquodque *caput* cuidam eventui politico et civili magni

momenti congruit, (et quidem hac ratione talem divisionem elegi); *primum* narrat coelibatus historiam tempore romani imperii, *secundum* tempore incursionum Barbarorum, *tertium* sub dominatione Visigothorum arianorum, *quartum* sub dominatione Visigothorum catholicorum, seu post eorum conversionem.

Unicuique eventui politico respondent diversae vicissitudines in historia coelibatus. Tempore romani imperii coelibatus introducitur ejusque observatio relaxatur; tempore incursionum reformatur; tempore regni Visigothorum arianorum perfecte observatur; post istorum autem conversionem iterum relaxatio serpit.

Capita sunt in *paragraphos* subdivisa.

In primis *paragraphis* uniuscujusque *capitis* historiam coelibatus in Hispania scribam, et deinde in aliis *paragraphis* de quibusdam quaestionibus cum historia coelibatus connexis, agam.

Hanc nactus occasionem gratias ago D. Dri. J. Petro Kirsch, Professori in Universitate Friburgensi, qui consiliis et notis mihi opem tulit, meosque primos direxit gressus et praefuit studiis.

Fr. Carmelus Goñi, O. M. C.

Fontes ad historiam coelibatus in Hispania usque ad eversionem regni Visigothorum

Concilia

Concilium Illiberitanum, can. XXXIII; *Mansi,* v. II, col. 11.
Concilium Toletanum I, can. I; *Mansi,* v. III, col. 998.
Concilium Tarrac., can. I; *Mansi,* v. VIII, col. 541.
Concilium Gerund., can. VI-VII; *Mansi*, v. VIII, col. 549-550.
Concilium Ilerdens., can. V et XV; *Mansi,* v. VIII, col. 612 et 614.
Concilium Tolet. II, can. I-III; *Mansi,* v. VIII, col. 1.139-1.140.
Concilium Braccarens II, can. XV; *Mansi,* v. IX, col. 776.
Concilium Tolet. III, can. V; *Mansi*, v. IX, col. 994.
Concilium Hispalens. I, can. III; *Mansi,* v. X, col. 450-451.
Synodus Tolet., can. I; *Mansi*, v. X, col. 477-478.
Concilium Oscens., can. I-II; *Mansi,* v. X, col. 481-482.
Concilium Egarens., can. I; *Mansi,* v. X, col. 531.
Concilium Tolet. IV, can. XXI-XXIV et XLII-XLIV; *Mansi,* v. X, col. 625, 626 et 630.
Concilium Tolet. VIII, can. IV-VII; *Mansi,* v. X, col. 1.216-1.218.
Concilium Tolet. IX, can. X; *Mansi,* v. XI, col. 29.
Concilium Tolet. X; *Mansi,* v. XI, col. 40-41.
Concilium Tolet. XI, can. V; *Mansi,* v. XI, col. 139-141.
Concil. Braccarens. III, can. V; *Mansi,* v. XI, col. 155-156.

Opera

S. Isidorus: De ecclesiasticis officiis, lib. II, cap. X; *Migne*, P. L., v. LXXXIII, col. 790.
Recesvintus: Lex Visigoth., III. 4. XVIII: Cf. Zeumer, «Leges Visigothorum antiquiores» in Collec. «Fontes juris germanici antiqui». Hannoverae et Lipsiae, 1894, p. 111.
Siricius: Epistola ad Himerium Tarr. Episcopum; *Migne,* P. L., v. XIII, col. 1.131-1.147.

AUTORES CONSULENDI

A. de Roskovány.—Coelibatus et Breviarium: duo gravissima clericorum officia e monumentis omnium saeculorum demonstrata, Pistin et Vindob., 1861, v. XI.

Bickell (G). . . .—Der Cölibat, eine apostolische Anordnung, in *Zeitschrift für katholische Theologie*, II, (1878), p. 26-64, et v. III, (1879), p. 792-799.

Biner. . . . .—Apparatus eruditionis ad Jurisprudentiam praesertim Ecclesiast., August. Vind., 1754-1769, v. XIII.

Bocquet . . . .—Esquisse historique du célibat dans l'antiquité, Paris, 1894.

Funk (F. X). . . .—Cölibat und Priesterehe im christlichen Altertum; in *Kirchengeschichtliche Abhandlungen und Untersuchungen*, v. 1, p. 121-155, Paderborn, 1897.

Idem . . .—Theol. Quartalschrift, 1879, p. 208 240; et 1880, p. 202-221.

Hefele. . . . .—Beiträge zur Kirchengeschichte, Archäologie und Liturgik, I, p. 122-139, 1864.

Id. . . . . .—Conciliengeschichte, (ed. 2ª), Freiburg in B. 1873, p. 431-435.

Klitsche . . . .—Geschichte des Cölibates der katholischen Geistlichen, Augsburg. 1830.

Kraus. . . . .—Real-Enzyklop., I, 307.

Laurin. . . . .—Der Cölibat der Geistlichen, Wien, 1889.

H. Leclercq. .—Dictionnaire d'archéologie; art. *Célibat*, v. II, col. 2810-2814.

Möhler. . . . .—Gesammelte Schriften und Aufsätze, 1889, I, 177-267.

Papp-Szilaghi . .—Enchiridion juris Ecclesiae orientalis catholicae, p. 322-330.

Mgr. Pavy . . .—Du célibat ecclésiastique, (ed. 2), Paris, 1852.

Phillips . . . .—Kirchenlexikon; art. *Cölibat*, v. III, col. 584-594.

Probst. . . . .—Kirchliche Disciplin in den drei ersten christlichen Jahrhunderten, 1873, p. 76-82.

Schmitt. (J). . .—Der Priestercölibat, Münster, 1870.

Thomassinus. . .—Vetus et nova eccl. disciplina, v., I, l. 2, cap. 60-67.

Vacandard (E). .—Les origines du célibat ecclésiastique; in *Études de critique et d'histoire religieuse*, Paris, 1909, (ed. 4.[a]), v. 1, p. 79-120.

Idem . .—Dictionnaire de Théologie; art. *Célibat*, v. II, col. 2073-2075.

Vassel. . . . .—Le célibat ecclésiastique au premier siècle de l'Eglise, Paris et Poitiers, 1896.

INTRODUCTIO

DE ORIGINE COELIBATUS

Perpauci sunt scriptores saeculo XVI priores, qui investigationi et studio originis coelibatus ecclesiastici operam navarunt. Omnes unanimes opinabantur continentiam absolutam et perfectam clericis majoribus ab ipsis Apostolis fuisse impositam. Postquam vero *Reformatio* exorta fuit et antiquissimas Ecclesiae catholicae traditiones et consuetudines impugnare coepit; multa in lucem prodiere opera de coelibatus ecclesiastici origine agentia; coelibatus enim ecclesiasticus fuit una ex institutionibus romanae Ecclesiae, quae vehementius impugnata fuit. Quidam scriptores coelibatus originem apostolicam propugnarunt, quidam vero eam rejecerunt.

Etsi horum operum major pars praejudiciis conceptorum atque in lucem editorum magni momenti non sit, occasionem tamen dedit novis studiis novisque investigationibus; et consequenter novis operibus, quae rem scientifice et critice pertractarunt, quorumque studium non parum juvat. Horum operum scriptores magni ponderis et auctoritatis viri, inter se dissentiunt diversasque sustinent opiniones. Omnes quidem unanimes proclamant Scripturam sacram commendare coelibatum ecclesiasticum, multos clericos jam ab initio Ecclesiae perpetuo continentes permansisse, sive quia coelibes aut vidui sacros suscepere ordines, sive quia post suam ordinationem matrimonii jura abdicarunt. Quaestio autem, in qua ii auctores dissentiunt atque in diversas abeunt sententias, est, num lex coelibatus pro clericis in sacris ordinibus constitutis, ab ipsis Apostolis praescripta et decreta fuerit; et consequenter num in primis Ecclesiae temporibus, fuerit licitum clericis majoribus matrimonii vinculo ligatis, matrimonii juribus uti.

Duae sunt tantummodo opiniones quae hodie attentione dignae sunt, opinio scilicet, quae originem legis coelibatus ad ipsos Apostolos ascendere facit, et alia quae eam in saeculo quarto ponit.

Investigationem ergo originis coelibatus in tribus primis Ecclesiae saeculis, sequenti ordine prosequar:

I. Paragrapho sententiam originem apostolicam legis coelibatus affirmantem, exponam;

II. Opinionem ei oppositam, examini subjiciam; et deinde in:

III. Paragrapho propria mea sententia indicata veniet.

His tribus paragraphis originem coelibatus detegam, atque *Introductionem* complebo, sicque via ad scopum quem mihi proposui assequendum, *Historiam* scilicet *coelibatus in Hispania,* facilior expeditiorque erit.

I.

Sententia quae apostolicitatem legis coelibatus defendit, exponitur, atque testimonia, in quibus nititur, examini subjiciuntur.

Fatendum est imprimis hanc sententiam hodie non esse in tanto honore, sicut in praeteritis saeculis habita fuit. Olim enim scriptores meritissimi eam secuti fuerunt, ut Pavy [1], Papp Szilaghi [2], J. Schmitt [3] et demun G. Bickell [4].

Omissis aliorum auctorum elucubrationibus, opus G. Bickell paucis describam verbis. Ipse siquidem caeteris praeeminet, hanc tractando quaestionem. Caeterum opiniones et argumenta ita refert, ut quidquid alicujus momenti ab aliis dictum fuerit, in suo inveniatur opere, propter quod et ipse praecipuus hujus sententiae patronus habetur. Sufficit ergo opinionem et argumenta G. Bickell exponere; ipsis enim notis, aliorum dicta statim nobis innotescent.

G. Bickell suam mentem exprimit et statuit his duobus assertis:

a) Obligatio presbyterorum et diaconorum ad coelibatum

---

1. Mgr. Pavy, «Du célibat ecclésiastique», (ed. 2.), Paris, 1852.
2. Papp-Szilaghi, «Enchiridion juris Ecclesiae Orientalis,» p. 322-330.
3. Jacob. Schmitt, «Der Priestercölibat», Münster, 1870.
4. G. Bickell, Der Cölibat, eine apostolische Anordnung,» in «*Zeitschrift für katholische Theologie*», v. II (1878), p. 26-64 et v. III, (1879), p. 792-799.

Anno 1878 G. Bickell scripsit in citata periodico ephemeride, v. II, &. sententiam suam asseruitque apostolicitatem legis coelibatus. Doctor F. X. Funk ejus opinionem impugnavit in «*Tübing. theol. Quartalschrift*» 1879 p. 208-240. Anno sequenti (1879) G. Bickell rationibus F. X. Funk respondit, suamque denuo sententiam sustinuit propugnavitque in «*Zeitschrift für katholische Theologie*», v. III, p. 792-799.

provenit in Occidente non a summo Pontifice Siricio, sed ab ipsis Apostolis [1],

b) Eadem obligatio existebat in Oriente inde ab Apostolorum temporibus, sed saeculo quarto currente, in desuetudinem abiit.

Haec duo asserta G. Bickell demonstrare conatur, testimoniis desumptis ex operibus sanctorum Patrum, primo occidentalium et deinde orientalium. Superfluum judico animadvertere G. Bickell nullam legem Apostolorum coelibatum imponentem afferre. Talis enim lex non invenitur. Suum propositum est stabilire tribus primis Ecclesiae saeculis ab omnibus clericis majoribus coelibatum fuisse necessario observatum, ut inde concludat hanc universalem consuetudinem ab ipsis Apostolis decretam fuisse.

Primum testimonium quod G. Bickell oculis nostris ponderandum proponit, est canon XXXIII Concilii Illiberitani (300): «Placuit in totum prohibere episcopis, presbyteris et diaconi»bus, vel omnibus clericis positis in ministerio abstinere se a »conjugibus suis et non generare filios, quicumque vero fece»rit ab honore clericatus exterminetur» [2].

Hoc testimonium, cujus valorem et vim probandi postea ostendemus, nullo modo probat, ut patet, apostolicitatem coelibatus. Solummodo nobis manifestat ejus antiquitatem. Caeterum ipse Bickell non utitur eo ad apostolicitatem directe probandam; solummodo intendit demonstrare praeceptum coelibatus jam initio saeculi quarti stabilitum fuisse [3].

Secundo loco affert laudatus Auctor verba Pseudo-Ambrosii seu «Ambrosiaster» in *Commentariis in Epistolas S Pauli*. Explanans Epistolam 1 ad Timotheum cap. III, vers. 12, ait Commentator: «poterunt homines digni fieri sacerdo»tio, et fiduciam habere apud Deum; et sciant se posse im-

---

1. *a)* Die Verpflichtung auch der Priester und Diakonen zur Continenz rührt im Abendland nicht erst vom h. Siricius, sondern schon von den Aposteln her.
b) Dieselbe Verpflichtung bestand auch im Morgenland von der apostolischen Zeit an, wurde aber hier seit dem vierten Jahrhundert allmählich ausser Acht gesetzt. G. Bickell, op. cit., v. II, p. 32.
2. Mansi, v. II, col. 11.
3. Cf. G. Bickell, op. cit., v. cit., p. 35.

»petrare quod postulant, jam de caetero se ab usu faeminae »cohibentes». [1] Sed hoc testimonium, sicut etiam testimonium Auctoris operis, cujus titulus est: *Quaestiones veteris et novi Testamenti* qu. 127, eamdem probandi vim habent quam canon jam citatus Concilii Illiberitani [2].

G. Bilckel videns haec testimonia suam primam propositionem non probare, longius progreditur: atque nova testimonia tribus primis Ecclesiae saeculis scripta, quaerit. Unicum tamen est documentum, quod in his tribus saeculis invenit, testimonium namque Tertulliani in opusculo *De exhortatione castitatis*; «Quanti igitur et quantae in ecclesiasticis ordinibus de continentia censentur, qui Deo nubere maluerunt...» [3].

Ex his verbis nullo modo concludere possumus, omnes clericos in sacris ordinibus constitutos ad coelibatum astrictos fuisse tempore Tertulliani. Vox *quanti*, nullo modo ex se significat *omnes*. Vim hujus argumenti clare demonstrabit F. X. Funk [4]. Etiam si concedatur vocem *quanti* idem ac *omnes* significare, non sequitur hoc tempore aliquam super coelibatu exstitisse legem. Mea opinio est *fere omnes* clericos coelibatum observasse, etsi legem non haberent.

Concedendum est denique mentem S. Siricii et Epigoni fuisse, legem coelibatus ab Apostolis provenire, ipsamque jam antiquis temporibus a clericis observatam fuisse [5]. Sed ex eo

1. Migne, P. L., v. XVII, col. 470-477. Circa auctorem hujus operis et tempus in quo scriptum fuit, vide Bardenhewer, «Patrologie», p. 382 et 387.

2. Migne, P. L., v. XXXV, col. 2385. Cf. circa originem operis ejusque compositionem Bardenhewer, «Patrologie», p. 387.

3. Cf. Tertullianum, «De exhortatione castitatis», cap. XIII; Migne, P. L., v. II, col. 930.

4. Cf. Funk, «Cölibat und Priesterehe» in *Kirchengeschichtliche Abhandlungen und Untersuchungen*, v. I, p. 138-139.

5. Haec sunt ultima testimonia quibus G. Bickel op. cit., v. cit., p. 41 antedicta corroborare suamque primam propositionem demonstrare vult. His testimoniis respondemus cum verbis De Smedt (Revue des questions historiques t. II, 1888, p. 351). «Je ne m' appuierai jamais, sur les as»sertions generales des Pères du IV siècle et à plus forte raison des temps »postérieurs par rapport aux institutions primitives. Les Pères sont de »témoins autorisés de la tradition dogmatique pour le temps et la con»trée oú ils vivent, mais ils n' ont, comme tels, aucune autorité spéciale »quant à la tradition historique, et j'ai rapporté ailleurs (Principes de la »critique historique 1883, p. 232) des exemples frappants pour montrer »qu'on ne peut avoir une confiance aveugle dans leurs affirmations même »les plus péremptoires en matière d'érudition».

quod aliqui Patres factum historicum quoddam sine ullo historico documento asserant, nequit probari illud verum esse. Protractu enim quatuor fere saeculorum maxima cum facilitate origo alicujus legis oblivioni tradi potuit, praesertim cum haec lex ex consuetudine tantum introducta, priusquam praescriberetur, libere a multis clericis observata fuerit.

G. Bickell transit postea ad secundam propositionem probandam, et incipit seriem testimoniorum cum verbis quibusdam ex *Doctrina Addaei* desumptis. Credit ipse opusculum saeculo tertio fuisse compositum [1]; sed hodierni critici saltem in actuali forma intra annos 390-430 illud prodiisse affirmant. [2]. Ideo documentum nullam habet vim probandi apostolicitatem legis coelibatus. Sed tantummodo ad demonstrandum consuetudinem et observationem coelibatus illo tempore, quo opus fuit scriptum. Et hoc quidem si documentum vere et realiter de coelibatu clericorum loquitur [3].

Aliud argumentum sumit G. Bickell ex scripto: *Canones Apostol. ecclesiastici*. Duo sunt testimonia quae a G. Bickell afferuntur. Primum est cap. 16, 2, ubi de episcopis loquens, ait canon: Καλὸν μὲν εἶναι ἀγύναιος, εἰ δὲ μή, ἀπὸ μιᾶς γυναικὸς, quorum verborum sensus juxta G. Bickell est: episcopus debet esse virgo, si possibile est, in omni autem casu, cum sua unica uxore in continentia vivere [4]. G. Bickell opinatur opus fuisse scriptum initio saeculi secundi. Observandum tamen est primo, opus non fuisse scriptum saeculo secundo, sed saeculi tertii fine, ut scriptores hodie probant [5], atque secundo, sensum a G, Bickell receptum non esse probabilem;

1. Cf. G. Bickell, op. cit., p. 43.
2. Cf. Bardenhewer, Patrologia, p. 141.
3. Non omnes enim consentiunt in affirmando locum adductum revera de coelibatu clericorum loqui. Neque Cureton (Ancient documents p. 21,) neque Fillips (The doctrina of Addaei p. 48) qui Doctrinam Addaei anglice redidere, viderunt aliquam approbationem coelibatus. G. Bickell (*Zeitschrift für katholische Theologie*, VI, p. 304, Ann. I,) accusavit eos voluisse falsa versione vim argumenti pro coelibatu evadere. Impossibile quidem non est opus probationem coelibatus continere; nam illo tempore, in quo fuit scriptum, jam multis in locis coelibatus erat obligatorius et non pauci credebant eum ab Apostolis fuisse praescriptum.
4. Cf. G. Bickell, ibidem, p. 43-44.
5. Cf. Bardenhewer, ibidem, p. 141.

certum namque videtur supradicta verba intelligi de monagamiae lege, scilicet episcopum aut coelibem esse debere, aut unius uxoris virum.

Omnes quidem fatentur voces: ἀπὸ μιᾶς γυναικὸς solas non posse habere sensum, quem G. Bickel eis tribuit, scilicet «sin minus a sua uxore abstinentem.» Hae voces possunt habere hanc significationem, solummodo si alia vox additur e. g. ἐγκρατεύεσθαι; ut autem, in *Canonibus Apost. eccles.* leguntur, talem non habent significationem neque propositionem G. Bickell affirmant. Auctor *Canonum Apost. eccles.* ait simpliciter: «Bonum est episcopum virginem esse sin minus ab una uxore», quin aliquid dicat utrum episcopus debeat se ab ea abstinere, an e contrario cum ea commercium habere possit conjugale.

Praeterea auctor non dicit ἀπὸ γυναικός, sed ἀπὸ μιᾶς γυναικὸς. Vox autem μιᾶς indicat aperte hoc in loco agi de monogamiae praecepto, aliter namque inutilis esset, et auctorem ad praeceptum S. Pauli: «Oportet episcopum... εἶναι μιᾶς γυναικὸς ἄνδρα.» (I Timoth. III, 2) relationem facere [1].

Nullius ergo roboris est G. Bickell testimonium ad probandam apostolicitatem legis coelibatus; testimonium, quod post saeculum tertium fuit scriptum, quodque probabilissime non agit de coelibatu ecclesiastico.

Ex eodem opere *Canones Apost eccles.* adducit G. Bickel aliud testimonium, ad ostendendum etiam presbyteros et diaconos fuisse obligatos ad coelibatum, scilicet 18,3. Δεῖ οὖν εἶναι τοὺς πρεσβυτέρους... ἀπεχομένους τῆς πρὸς γυναῖκας συνελεύσεως» [2]. Sed hic textus, qui ita clarus apparet, non solum non probat, quod G. Bickell probare vult; sed e contrario pro thesi F. X. Funk pugnat; omissae enim fuerunt duae voces, quae totum sensum mutant. Textus enim est, ut affert F. X. Funk Δεῖ... τρόπῳ τινί ἀπεχομένους... [3].

Unicum argumentum non contemnendum quodque mentionem meretur, est desumptum ex verbis Origenis (Homil. VI in

---

1. Cf. F. X. Funck, op. cit., v. cit., p. 124. Ejusdem opinionis est E. Vacandard, op. cit., p. 80.
2. Cf. G. Bickell, op. cit., v. II, p. 44.
3. Cf. F. X. Funk, ibidem, p. 124-125.

Leviticum). Origenes enumerat sacerdotum veteris Testamenti indumenta, atque ex hoc diversa consilia regulasque colligit pro vitae sacerdotum moderatione «In Exodo enim, ait, le»gens ubi de sacerdotum mandatur indumentis, invenio octo »esse species quae pontifici praeparantur. Hic vero septem »tantummodo numerantur. Requiro ergo quid est quod omissum »est. Octava species ibi ponitur campestre, sive ut alibi legi»mus femoralia linea, de quo hic inter caetera siluit indumen»ta. Quid ergo dicemus? oblivionem dabimus in verbis Spiritus »sancti, ut cum caetera omnia secundo enarraverit, una eum »species superius dicta latuerit? Non audeo haec de sacris »sentire sermonibus. Sed videamus ne forte, quoniam in supe»rioribus diximus hoc genus indumenti indicium castitatis vide»ri, quo vel femora operiri vel constringi renes videantur ac »lumbi, ne forte, inquam, non semper in illis qui tunc erant »sacerdotes, has partes dicat esse constrictas. Aliquando »enim et de posteritate generis et de succesu sobolis indul»getur. Sed ego in sacerdotibus Ecclesiae hujusmodi intelli»gentiam non introduxerim. Aliam namque rem video occu»rrere sacramento. Possunt enim et in Ecclesia sacerdotes et »doctores filios generare, sicut et ille qui dicebat: Filioli mei, »quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis [1].»

Testimonium videtur G. Bickell clarum et apertum [2]. Non obstante tamen opinione G. Bickell, superfluum non erit illud examini subjicere, mentemque Origenis investigare. Origenes

a) non asserit coelibatum sacerdotibus novi Testamenti ab ipsis Apostolis fuisse impositum; imo

b) neque affirmat eos ad continentiam perpetuam *obligatos* esse;

c) non loquitur de presbyteris et diaconis, sed de sacerdotibus, qua voce intelligendi sunt episcopi, ut ex contextu evidentissime patet.

Hae tres animadversiones verae sunt et fundatae et earum veritatem lector ipse comprobare potest. Nemo igitur non videt testimonium Origenis nullo modo demonstrare: *a*) omnes

---

1. Migne, P, G., v. IX, col. 400.
2. Cf. G. Bickell, op. cit., v. II, p. 45-46.

clericos majores scilicet, episcopos, presbyteros et diaconos *b*) ad coelibatum fuisse obligatos *c*) lege ab Apostolis ipsis data, ut G. Bickell affirmat.

Ex verbis Origenis attente perpensis atque consideratis, deducitur Ecclesiam praetulisse clericos coelibes clericis matrimonii usum facientibus consuetudinemque viguisse talem, servandi videlicet continentiam jam tempore Doctoris Alexandrini. Haec est mens Origenis, nec aliud ipsius verba innuunt; ex eis autem alias deducere consequentias erroneum est.

Praeterea in memoriam revocandum est Origenem amicum, patronum et defensorem continentiae et virginitatis fuisse; et absque dubio ipse judicabat continentiam sacerdotibus convenientissimam fuisse.

G. Bickell postquam finem dedit testimoniis, quae ipse tribus primis saeculis scripta credebat, progreditur ad nova testimonia saeculis sequentibus edita, quaerenda [1]. Ipsa praeertim sunt desumpta ex verbis Eusebii Episc. Caesariensis, *Demonstratio evangelica* I, 9, [2] S. Cyrilli Hierosolymitani *Catechesis XII,* 25, [3] S. Epiphanii «Adv. Haer.» 48 et 59 [4], atque denique S. Hieronymi, qui contra Vigilantium scri-

---

1. Cf. G. Bickell op. cit., p. 46-54.

2. Serium examen de his argumentis hic non instituam, tamen ut lector qui per se ipsum de validitate argumentorum judicare vult, ea ante oculos habeat, proponam hic sine ulla annotatione verba istorum scriptorum, de quibus est quaestio: Euseb «Demonstr. evang.» I, 9.— μάλιστα δ᾽οὖν τούτοις ἀναγκαίως τανῦν διὰ τὴν περὶ τὰ κρείττω σχολὴν ἡ τῶν γάμων ἀναχώρησις σπουδάζεται. Et fere ad finem cap. Πλὴν ἀλλὰ τοῖς ἱερωμένοις καὶ περὶ τὴν τοῦ Θεοῦ θεραπείαν ἀσχολουμένοις ἀνέχειν λοιπόν σφᾶς αὐτοὺς προσήκει τῆς γαμικῆς ὁμιλίας Migne, P. G., v. XXII, col. 81.

3. Cf. S. Cyrillum Hier., Catechesis XII, c. 25. Εἰ γὰρ ὁ τῷ Ἰησοῦ καλως ἱερατεύων ἀπέχεται γυναικὸς. Migne, P. G., v. XXXIII, col. 757.

4. Cf. S. Epiphan., «Adb. Haer.», 48, ...φήσας περί τινων κωλυόντων γαμεῖν, καὶ ἀπέχεσθαι βρωμάτων. Καὶ γὰρ συμμετρίᾳ τινὶ ὁ Θεός λόγος ἐν τῷ Εὐαγγελίῳ φήσας, θέλεις τέλειος γενέσθαι; (Matth XIX, 21) συγγνωμόνων τῇ τῶν ἀνθρώπων πλάσει καί ἀσθενείᾳ, χαίρει ἐπι τοῖς τά δοκίμα τής θεοσεβείας δυναμένοις ἐκδείκνυσθαι, παρθενίαν ἀσκεῖν αἱρουμένοις, καὶ ἁγνείαν, καὶ ἐγκράτειαν. Τήν δέ μονογαμίαν τιμᾷ. εἰ καί μάλιστα τά χαρίσματα τῆς ἱερωσύνης, διὰ τῶν ἀπὸ μονογαμίας ἐγκρατευσαμένων, καὶ τῶν ἐν παρθενίᾳ διατελούντων κοσμήσας προετύπου ὡς καὶ οἱ αὐτοῦ ἀπόστολοι τὸν ἐκκλησιαστικὸν κανόνα τῆς ἱερωσύνης εὐτάκτως καὶ ὁσίως διεταξαντο. Εἰ δέ τις κατά ἀσθένειαν ἐπιδεηθείη μετὰ τὴς τελευτὴν τῆς ἰδίας γαμετῆς συναφθῆναι δευτέρῳ γάμῳ, οὐκ ἀπογορεύει τοῦτο ὁ κανὼν τῆς ἀλεθείας, τουτέστι τὸν μὴ ὄντα ἱερέα. Οὗτοι δέ κωλύουσι κατὰ εἰρημένον: κωλυόντων γαμεῖν. Migne, P. G., v. XLI, col. 868.

Adv. Haer. 59. Καὶ ταῦτα ἀσφαλῶς ἡ ἁγία τοῦ Θεοῦ Ἐκκλησία μετὰ ἀκρι-

bens, ait: «Quid facient Orientis Ecclesiae, quid Egipti et Se»dis apostolicae, quae aut virgines clericos accipiunt, aut »continentes; aut si uxores habuerint, mariti esse desistunt» [1].

Non est mea intentio hoc in loco vim et validitatem horum testimoniorum discutere. Tantummodo assero ea non probare apostolicitatem legis coelibatus. Ex citatis scriptoribus Eusebius, S. Cyrillus, S. Hieronymus nullo modo affirmant coelibatum ab ipsis Apostolis praescriptum fuisse. S. Epiphanius tantum videtur fuisse hujus opinionis; sed neque ipse affirmat coelibatum ab initio Ecclesiae a clericis fuisse observatum, neque clarum apparet, utrum S. Epiphanius credat Apostolos expresse et clare legem coelibatus instituisse et promulgasse, an potius legem coelibatus noviter introductam, (et adhuc non in omnibus locis), tantummodo virtualiter in verbis et factis apostolorum contineri, atque in eis suum fundamentum invenire. Imo etiam si S. Epiphanius clare et aperte apostolicitatem legis coelibatus affirmaret, suum testimonium sine ullo argumento historico me non convinceret. Lapsus enim quatuor saeculorum est nimis longus, ut ei sub verbo tantum credamus [2].

Patet ergo nullum testimonium clarum et authenticum nobis praesto esse tribus primis Ecclesiae saeculis, ad proban-

---

βείας παραφυλάττεται. Ἀλλὰ καί τὸν ἔτι βιοῦντα καὶ τεκνογονοῦντα, μιᾶς γυναικὸς ὄντα ἄνδρα, οὐ δέχεται, ἀλλά ἀπὸ μιᾶς ἐγκρατευσάμενον, ἢ χηρεύσαντα, διάκονον τε καὶ πρεσβύτερον, καὶ ἐπίσκοπον, καὶ ὑποδιάκονον, μάλιστα ὅπου ἀκρίβεις κανόνες οἱ ἐκκλησιαστικοί.

Ἀλλά πάντως ἐρεῖς μοι, ἔν τισι τόποις ἔτι τεκνογονεῖν πρεσβυτέρους καὶ διακόνους, καί ὑποδιακόνους. Τοῦτο οὐ παρὰ τὸν κανόνα, ἀλλὰ παρὰ τὴν τῶν ἀνθρώπων κατὰ καιρὸν ῥᾳθυμήσασαν διάνοιαν, καὶ τοῦ πλήθους ἕνεκεν, μή εὑρισκομένης ὑπηρεσίας. Τὸ πρεπωδέστερον γὰρ αἐὶ ἡ Ἐκκλησία δρῶσα, ἁγίῳ Πνεύματι εὖ διαταχθεῖσα, ἔγνω ἀπερισπάστοος Θεῷ τὰς λατρείας ἐπιτελεῖσθαι σπουδάζειν, καὶ τὰ πνευμάτικα τῶν χρειῶν μετὰ πάσης εὐνουστάτης συνειδήσεως τελειοῦσθαι. Φημὶ δε, δτι πρέπον, ἐστί διά τὰς ἐξαπίνης λειτουργίας καὶ χρείας σχολάζειν τὸν πρεσβύτερον, καὶ διακόνον, καί ἐπίσκοπον Θεῳ. Εἰ γὰρ καὶ τοῖς ἀπὸ τοῦ λαοῦ προστάσσει ὁ ἅγιος Ἀπόστολος λέγων: ἵνα πρὸς καιρὸν σχολάσωσι τῇ εὐχῇ, πόσῳ γε μάλλον τῷ ἱερεῖ τὸ αὑτο προστάσσει; Τὸ ἀπερίσπαστον δέ λέγω, εἰς τὸ σχολάζειν κατὰ Θεόν ἐν ταῖς χρείαις ταῖς πνευματικαῖς τελεσιουργημένῃ ἱερωσυνῃ. Migne, P. G., v. XLI, col. 1025.

1. Migne, P. L., v. XXIII, col. 341.

2. Revera G. Bickel (op. cit., v. cit. p. 52-55) alia testimonia citat, quae hic omittam et quidem duabus rationibus, nempe quia adhuc posteriora supracitatis sunt, et quia de iis postea agendum est. Qui ejus expositionem et refutationem discutere vult, videat F. X. Funk, op. cit., v. cit., p. 134-138.

dam obligationem coelibatus. Major pars Patrum qui post saeculum tertium vixit, etsi pro coelibatus obligatione pugnet, non affirmat tamen eum ab Apostolis fuisse impositum. Solummodo aliqui fine saeculi quarti ita opinantur, et adhuc, (exceptis Epigono et S. Siricio), non clare suam manifestant opinionem. Concludamus igitur argumentum *praescriptionis*, quod G. Bickell adducit, deficere, ejusque propositiones *improbatas* manere.

II.

Sententia quae apostolicitatem legis coelibatus negat, exponitur, ipsiusque rationes crisi subjiciuntur.

Sententia quae hodie ut certa ab omnibus admittitur, affirmat coelibatum non fuisse ab Apostolis praescriptum, atque clericos, qui postquam matrimonio vincti essent, ad sacros accedebant ordines, potuisse licite matrimonii juribus uti tribus primis Ecclesiae saeculis. Fatentur quidem multi moderni scriptores hujuscemodi clericos coelibatum observasse, sed simul asserunt hoc libere, non coacte fecisse. Praecipui praestantioresque scriptores, qui huic adhaesere sententiae, sunt: Ch. J. Hefele [1], Probst [2], F. X. Funk [3], E. Vacandard [4], H. Leclercq [5].

Inter omnes eminet F, X. Funk qui data opera et magna callente scientia notitiaque circa SS. Patres scriptoresque ecclesiasticos, hanc tractavit quaestionem. Methodum jam

---

1. Ch. J. Hefele, «Beiträge zur Kirchengeschichte. Archäologie und Liturgik», 1864, v. I, p. 122-139.
2. Probst. «Kirchliche Disciplin in den drei ersten christl. Jahrhunderten», 1873. p. 76-82.
3. F. X. Funk, «Cölibat und Priesterehe im christl. Altertum» in «Kirchengeschichtliche Abhandlungen und Untersuchungen», v. I, p. 121-155.
4. E. Vacandard, «Le Célibat ecclésiastique» in «Études de critique et d'histoire..., v. I, p. 71-120.
5. H. L. Leclercq, in «Dictionnaire d'Archéologie», art. Célibat v. II col. 2810-2814.

ab initio mihi propositam prosequens, sententiam assertionesque F. X. Funk examini subjiciam [1].

Coelibatus nititur utique, ait F. X. Funk, in sacris scripturis in dictis scilicet Salvatoris (Matth., XIX, 12), et Apostoli Pauli (Cor., VII, 7, et 32-34) de virginitate; et revera coelibatus fuit frequenter a clericis observatus in primis Ecclesiae saeculis; nulla tamen lege impositus fuit ante Concilium Illiberitanum in Occidente... In Oriente autem imperator Justinianus fuit primus qui legem super coelibatu evocat [2]».

F. X. Funk non concedit magnam vim verbis S. Ignatii in *Epist... ad Polycarp.* 5, 2, (εἴ τις δύναται ἐν ἁγνείαν μένειν... καὶ ἐὰν γνωσθῇ πλέον τοῦ ἐπισκόπου ἔφθαρται), ad suam sententiam firmandam [3], non vero ita accidit cum canone 6.° *Canon. Apostol.*, ubi argumentum non omittendum videt [4]. Hoc opus circa annum 400 [5] fuit compositum. Canon prohibet episcopis, presbyteris et diaconis, ne suas uxores e domo ejiciant προφάσει εὐλαβείας.

G. Bickell interpretatur canonem de separatione habitationis et nullam videt in eo objectionem contra coelibatum [6].

F. X. Funk e contra asserit illud esse testimonium contra

---

1. F. X. Funk. exponit imprimis sententiam G. Bickell (p. 122-124). rationesque a G. Bickell allata fusse refutat atque interpretationem rejicit. (p. 124-141). Postremo suam statuit sententiam eamque diversis ostendere testimoniis pugnat, (p. 141-154).

2. F. X. Funk, op. cit., v. cit., p. 154. «Der Cölibat hat wohl seine Grundlage in der hl. Schrift, in den Aussprüchen des Heilandes (Matth, IX, 12) und des Apostels Paulus (I Cor. VII, 7, et 32-34) über die Virginität, und thatsächlich wurde er schon in den ersten Jahrhunderten vom Clerus vielfach beobachtet. Eine gesetzliche Form aber erhielt er erst im Laufe der Zeit. Im Abendland tritt die Wendung zuerst in dem canon 33 der Synode von Elvira hervor... Im Morgenland ist Kaiser Justinian der erste, von dem ein Gesetz bekannt ist, (Nov. 6, c. I. § 3-4, 123 c. I), und ihm reiht sich anderthalb. Jahrhunderte später die trullanische Synode, (692) c. 48 an. Das Gesetz hat aber in der orienialischen Kirche einen geringeren Umfang als in der abendländischen; es beschränkt sich auf den Episcopat...»

3. F. X. Funk, op. cit., v. cit., p. 141.

4. F. X. Funk, op. cit., v. cit., p. 142-143.

5. Bardenhewer, «Patrologie», p. 307-314.

6. G. Bickell, Op. cit., v. cit., p. 31. «Der 6 apostolische Kanon verbiete allen höheren Klerikern, auch den Bischöfen, ihre Frauen unter dem Vorvand der Behutsamkeit zu verstossen. Aber hier wird bloss verboten, die Gattin aus dem Hause zu stossen und hilflos zu lassen.
Vom ehelichen Umgang ist hier gar nicht die Rede...»

existentiam legis coelibatus [1]; et post pauca addit: «interpretatio, juxta quam simpliciter prohibet (supradictus canon) »mulierem suam e domu seu habitatione projicere, et sine »protectione relinquere, excluditur ex ipsis verbis canonis, ex »voce graeca εὐλάβεια» [2]. E. Vacandard de canone hoc scribens, ait: «Auctor *Canonum Apostol.* in tali hypothesi, scilicet »in hypothesi G. Bickell, suam ideam pessime expressisset. Pie»tas aut religio, quam ipse ut praetextum designat, clare ma»nifestat auctorem indicare velle separationem ratione conti»nentiae perfectae, eamque reprobare» [3]. Certe non video quare citatus canon testimonium contra existentiam legis coelibatus sit, neque quare vox εὐλάβεια ideam separationis materialis domorum seu habitationum excludat.

Opinor ego primo, interpretationem G. Bickell probabilem esse. (Non dico eam esse certam). Aliquis forsitan dicet in praedicto canone religionem seu pietatem εὐλάβεια ut praetextum indicari; et neque pietatem neque religionem esse posse praetextum, ad suam uxorem e domo ejiciendam, et sine juvamine derelinquendam. Notandum tamen est illo tempore, in quo *Canones apostolorum* compositi fuerunt, coelibatum esse observatum a multis clericis, qui matrimonio juncti erant, et qui libere et de consensu uxorum matrimonii jura abdicabant. Hoc ab omnibus admittitur. Non potest autem negari cohabitationem cum suis uxoribus pro talibus clericis continuum fuisse periculum. Ergo si hujusmodi clerici poterant invocare pietatem et religionem ad cessandum a commercio conjugali; nonne poterant supradicti clerici ipsam religionem et pietatem invocare, ad pericula violandi continentiam vitan-

---

1. Cf. F. X. Funk, ibidem, p. 142...» er gilt mit Grund als ein Zeugnis gegen den Bestand eines Cölibatsgesetzes».

2. Cf. F. X. Funk, ibidem. «Die Erklärung, es sei hier bloss verboten, die Gattin aus dem Hause zu stossen und hilflos zu lassen, und vom ehelichem Umgang sei gar nicht die Rede, scheitert an dem Wortlaut des Kanones, an der als Grund der Verstossung angefuhrten.

3. C. E. Vacandard, «Les origines du célibat ecclésiastique», op. cit., p. 24; «L'auteur des canons apostoliques aurait dans cette hypothèse bien mal rendu sa pensée. Le prétexte de piété ou de religion, qu'il indique, marque nettement qu'il a en vue la separation pour raison de continence absolue et c'est cette raison qu'il réprouve».

da; et auctor *Canonum apostolorum* hanc rationem praetextum religionis appellare? ac si diceret auctor: pietas et religio, quae ipsos movet ad uxores ejiciendas, nempe pericula praecavenda, praetextus sunt; solummodo, vera causa est nolle ei alimenta opemque praebere. Hic sensus possibilis est, ut opinor; sufficit autem eum esse possibilem, ut supradictus canon non probet id, quod F. X. Funk probare pertentat.

Advertendum est etiam secundo, interpretationem G. Bickell mihi probabiliorem videri, quam interpretationem F. X. Funk et Vacandard; et quidem ob sequentia argumenta:

a) Quia εὐλάβεια, sicut εὐλαβέομαι idem est ac se praecavere, praemunire, praemunitio, timor; deinde derivative timor Dei, religio. Potest ergo canon ita interpretari «praetextu se praecavendi», et hic est verus propriusque verborum sensus.

b) Auctor *Canonum apostolorum* quinquies exprimit ideam pietatis religionisque, et semper exprimit eam, non voce εὐλάβεια, sed voce εὐσέβεια. Vide enim can. XIV [1], XXXII [2], XXXIV [3], XXXVIII [4] et LVIII [5]. Voce εὐλάβεια utitur duobus in locis; in canone de quo est quaestio, et in canone XLI. Hoc canone loquitur de cura pecuniarum, quam episcopus habere debet, «ita, ait, aut potestate ejus indigentibus omnia »dispensentur per presbyteros et diaconos, et cum timore »atque sollicitudine ministrentur, μετὰ φόβου τοῦ θεοῦ καὶ πάσης εὐλαβείας. [6]. Non negatur hoc loco εὐλάβεια posse intelligi de pietate; tamen probabilius est hoc in loco significare praecautionem, circumspectionem, curam, seu, ut invenitur in versione latina, sollicitudinem, ideoque etiam in canone VI eumdem sensum habere.

c) Praeterea sensus a F. X. Funk et Vacandard propositus, videtur absurdus: nam in tali hypothesi prohibetur coelibatus ecclesiasticus, et quidem sub poena depositionis. Nu-

---

1. Cf. Ch. J. Hefele, Conciliengeschichte, (3 zweite Aufl.), v. I, p. 804.
2. Cf. Ch. J. Hefele, op. cit., p. 809.
3. Cf. Ch. J. Hefele, op. cit., p 810.
4. Cf. Ch. J. Hefele, op. cit., p. 812.
5. Cf. Ch. J. Hefele. op. cit., p 818.
6. Cf. Ch. J. Hefele, op. cit., v. cit., p. 813-814.

llus autem scriptor primorum saeculorum alicujus notae cogitavit obligare clericos ad matrimonii jure utendum. Illi, qui coelibatus quaestioni primis Ecclesiae saeculis vacaverit, clarum compertumque erit, aut sensum a F. X. Funk et E. Vacandard propositum non esse verum, aut auctorem canonis non fuisse catholicum, ideoque coelibatus observationem illius temporis non posse nobis manifestare.

d) Demun interpretatio G. Bickell optime convenit his temporibus, in quibus supradicti canones fuerunt scripti; nam tunc temporis multi clerici coelibatum observabant saltem libere. Ex alia parte, initio jam saeculi quarti, episcopi adlaborabant, et quidem magno cum rigore, ut clericos a *sororibus spiritualibus* separarent, (ut infra videbitur); et quidem ad periculum fornicationis vitandum; potuit ergo accidere ut aliqui clerici matrimonio juncti, a suis uxoribus se separare vellent, sive reipsa ad pericula vitanda, sive sub hoc praetextu ob alias rationes minus sanctas, quod auctor *Canon. apostolorum* hoc in casu reprobaret.

Mirum tamen videtur ipsum G. Bickell contra suam sententiam hunc canonem explanantem, addere: «probabiliter fuit »concessa (consuetudo conjugalis) presbyteris et diaconis non »autem certe episcopis» [1]. Talis conclusio restat adhuc probanda.

Apertum et clarum utique est testimonium ex *Const. Apostolicis* desumptum. Verba quae VI, 17 leguntur, scilicet: «In »episcopum, presbyterum et diaconum constitui praecipimus »viros unius matrimonii, sive vivant eorum uxores, sive obierint; μὴ ἐξεῖναι δὲ αὐτοῖς μετὰ χειροτονίαν ἢ ἀγάμοις οὖσιν, ἔτι ἐπὶ γάμον ἔρχεσθαι, ἢ γεγαμηκόσιν ἑτέραις συμπλέκεσθαι, ἀλλ' ἀρκεῖσθαι, ἢ ἔχοντες ἦλθον ἐπὶ τὴν χειροτονίαν» [2]: nullum dubitationi locum relinquunt. Corruptio quaedam textus omnino excludenda est ut F. X. Funk demonstravit [3]. Inferre itaque debemus: *a*) in ecclesia syriaca, ubi *Constitutiones apostilicae* scriptae creduntur, clericos in sacris constitutos ordinibus, ad coelibatum non fuisse obligatos, consuetudinemque viguisse contra-

1. Cf. G. Bickell, op. cit., v. cit., p. 31.
2. Migne. P. G. v I. col. 957.
3. F. X. Funk, op. cit., v. cit., p. 143.

riam; *b*) auctorem *Constit.* nullam Apostolorum cognovisse legem circa coelibatum. Hae tantummodo ex praefatis verbis erui possunt conclusiones.

Testimonium aliud thesim F. X. Funk abunde probans, adducitur ex Synodo Ancyrana anno 314 habita. Permittitur enim diacono, qui ante suam ordinationem declaravit coram episcopo, se non posse continentiam servare, et cui nihilominus sacra ordinatio imposita fuit, matrimonium contrahere [1]. Ex his apparet qualis erat consuetudo, illo tempore in Oriente stabilita; parumque consonum rationi videtur admittere existentiam cujusdam legis apostolicae, quae ab omnibus Synodi episcopis ignorata vel neglecta fuisset.

Quod testimonium magis roboratur canone IV Synodi Gangrensis: «εἴ τις διακρίνοιτο παρὰ πρεσβυτέρου γεγαμηκότος, ὡς λειτουργήσαντος μὴ χρῆναι αὐτοῦ προσφορᾶς μεταλαμβάνειν, ανάθεμα ἔστω [2].»

E contrario, testimonium ex *Epistola S. Athanasii ad Dracont.* cap. 9, deductum et a F. X. Funk in suo opere [3] citatum, nullius est roboris; et S. Athanasius neque directe neque indirecte est testis contra existentiam coelibatus. S. enim Doctor asserit solummodo: esse episcopos qui jejunant et monachos qui comedunt, episcopos qui vino abstinent et monachos qui bibunt. «Sunt enim ex episcopis multi qui numquam »nupserint, monachi autem reperiuntur qui filios suscepere, »quemadmodum vicissim, episcopos filiorum parentes, mona»chos vero nullam habuisse posteritatem cernimus [4]». Scopus S. Doctoris Alex. in supradictis verbis est excitare atque inducere Dracontium ad episcopatum assummendum, ostendens in duobus vitae statibus sanctitatem et perfectionem aeque consequi posse. Sed in his verbis aliquod testimonium contra legem coelibatus vel contra ejus praxim invenire, om-

1. Synodus Ancyran. can. X: Διάκονοι ὅσοι καθίστανται, παῤ αὐτὴν τὴν κατάστασιν εἰ ἐμαρτύραντο καὶ ἔφασαν χρῆναι γαμῆσαι, μὴ δυνάμενοι οὕτως μένειν, οὗτοι μετὰ ταῦτα γαμήσαντες ἔστωσαν ἐν τῇ ὑπηρεσίᾳ διά τὸ ἐπιτραπῆναι αὐτοὺς ὑπὸ τοῦ ἐπισκόπου. Τοῦτο δὲ εἴ τινες σιωπήσαντες, καὶ καταδεξάμενοι ἐν τῇ χειροτονίᾳ μένειν οὕτως μετὰ ταῦτα ἦλθον ἐπὶ γάμον, πεπαῦσθαι αὐτοὺς τῆς διακονίας. Mansi, v II, col. 517. Cf. F. X. Funk, ibidem,
2. Mansi, V. II, col. 1101.
3. Cf. F. X. Funk, op. cit., v. cit., p. 145-146.
4. Cf. Migne, P. G., v. XXV, col. 533.

nino impossibile est. Ne unum quidem verbum invenitur ex quo inferre possimus. Ipse F. X. Funk fatetur: «Non asseritur »quidem in hoc loco fuisse episcopos, qui tempore sui episco-»patus matrimonio usi fuere. Sed neque contrarium dicitur, et »in omni casu admittere debemus diaconos et presbyteros hoc »fecisse [1]». Concedimus S. Athanasium hic testem coelibatus non esse, sed quare a F. X. Funk ut testis contra legem coelibatus afferatur, vel quare admittere debeamus diaconos et presbyteros hoc fecisse, non video. Ratione habita ad S. Athanasii verba, idem affirmandum est de diaconis et presbyteris ac de episcopis.

Veniamus nunc ad argumentum quod F. X. Funk et E Vacandard capitale existimant. Desumptum est ex Clemente Alexandrino, *Strom.* III, c. 12, 90, et sic sonat: «καὶ μήν, καὶ τὸν τῆς μιᾶς γυναικὸς ἄνδρα πάνυ ἀποδέχεται, κἄν πρεσβύτερος ἦ κἄν διάκονος κἄν λαϊκὸς ἀνεπιλήπτως γάμῳ χρώμενος, σωθήσεται δὲ διὰ τῆς τεκνογονίας [2].

G. Bickell non videt hoc in loco testimonium contra coelibatum ecclesiasticum; ipse enim vult ut verba ἀνεπιλήπτως γάμῳ χρώμενος ad λαϊκὸς solummodo pertineant et referantur. (G. Bickell, op. cit., v. III, p. 769).

F. X. Funk rejicit primo argumentum a G. Bickell adductum ad probandum verba ἀνεπιλήπτως γάμῳ χρώμενος ad λαϊκὸς solum referri atque hoc jure facit. Etiam admittendum est interpretationem ipsius F. X. Funk, ut eodem in loco ipse ostendit, neque grammaticae neque contextui repugnare. Concedimus ergo interpretationem ejus et possibilem et probabilem esse. Estne tamen vera atque certa? Nullo modo. Applicare enim verba supracitata solummodo ad λαϊκὸς, ac si diceret sive sit presbyter, sive sit diaconus, sive laicus *utens* matrimonio, esse contra regulas grammaticae omnino affirmari non potest, et ipse F. X. Funk hoc asserere non audet. Dicet forsitan aliquis verba ἀνεπιλήπτως γάμῳ χρώμενος concordare et pertinere immediate ad voces τὸν τῆς μιᾶς γυναικὸς ἄνδρα, cujus membra sunt presbyter, diaconus et laicus, ideoque ἀνεπιλή-

1. Cf. F. X Funk, ibidem, p. 146.
2. Cf. Migne, P. G., v. VIII, col. 1189.

πτως γάμῳ χρώμενος ad πρεσβύτερος et διάκονος referri tamquam in voce ἄνδρα comprehensos. Cujus interpretationis non possibilitatem, sed certitudinem negamus. Solummodo enim verba σωθήσεται δὲ διὰ τῆς τεκνογονίας certo dici possunt ad vocem ἄνδρα referri, cujus membra forent presbyter, diaconus, et laicus ἀνεπιλήπτως γάμῳ φρώμενος; sicut si alio ordine diceretur: ναὶ μήν, καὶ τὸν τῆς μιᾶς γυναικὸς ἄνδρα πάνυ ἀποδέχεται, σωθήσεται δὲ διὰ τῆς τεκνογονίας, κἂν κρεσβύτερος ᾖ κἂν διάκονος κἂν λαϊκὸς ἀνεπιλήπτως γάμῳ χρώμενος. Ubi evidens est verba τὸν τῆς μιᾶς γυναικὸς ἄνδρα et deinde σωθήσεται ex S. Paulo desumpta, alia vero interjecta, a Clemente addita fuisse. Denique nulla repugnantia apparet in eo, quod ultima verba σωθήσεται non ad ἄνδρα immediate referantur, sed solummodo ad λαϊκὸς. Re quidem vera si Doctor Alexandrinus ideam a Bickell propositam defendere voluisset, meliori modo se exprimere non potuisset.

Postremo interpretatio haec contextui non adversatur. Et re sane vera Clemens probare vult matrimonium, seu melius usum matrimonii, peccatum non esse, quod quidem primo ex verbis S. Pauli (Timoth. I. V, 14-15) demonstrat: «Volo juniores nubere, filios procreare», etc.; et secundo ex verbis S. Pauli, de quibus est quaestio. Ergo, ut opinor, argumentum a Clemente allatum eamdem vim habet in sensu a G. Bickell acceptum, id est: Ecclesia omnes monogamos admittit, sive presbyterum, sive diaconum, sive laicum matrimonio utentem, nullam inter eos distinctionem faciens, quam in sensu a F. X. Funk intellectum scilicet; usus matrimonii reprobandus non est quia Ecclesia admittit ad episcopatum tam presbyterum, quam diaconum et laicum, qui matrimonio utuntur.

Nequit ergo negari interpretationem G. Bickell probabilem esse, ideoque locum adductum thesim F. X. Funk non probare.

Videamus nunc testimonium Socratis, quod jam ex remotissimis temporibus disputationum occasio fuit. Istius assertiones ad quaedam capita reduci possunt.

In lib. I, *Historiae ecclesiasticae* cap. 11, asserit:

a) bene visum fuisse episcopis Concilii Nicaeni, novam legem in Ecclesiam inducere, scilicet ut, quicumque in sacris

ordinibus constituti essent, se abstinerent a suis uxoribus, quas sibi sociaverant, priusquam sacris se manciparent ministeriis;

b) hanc legem fuisse episcopis propositam et singulorum episcoporum sententias requisitas;

c). Paphnutium oppositionem fecisse et vehementer *vociferatum fuisse*, grave hoc jugum clericis et sacerdotibus minime esse imponendum:

d). universum episcoporum coetum Paphnutii verbis acquievisse, permississe tamen ut ab uxorum consuetudine abstinerent, si vellent. [1].

In libro V., cap. 22, loquens de discrepantia, quod quibusdam in locis cernitur in celebratione festi paschalis, in baptismo, jejuniis, collectis aliisque ecclesiasticis ritibus, agit de coelibatu testaturque in Thessalia, vigere consuetudinem deponendi clericum, qui cum sua uxore dormierit post promotionem suam. «In Oriente autem, ait, cuncti sua spon»te, etiam episcopi, ab uxoribus se abstinebant, sed tamen »nulla lege aut necessitate constricti hoc faciebant. Multi »enim etiam sui episcopatus tempore liberos ex legitimo con»jugio susceperunt. Consuetudo in Thessalia vigens fuit in»troducta ab Heliodoro Tricae Episcopo. Eadem consuetudo »observatur in Macedonia atque Achaia.» [2]. En verba quae »tot disputationibus ocasionem dedit.

Propugnatores apostolicitatis legis coelibatus ecclesiastici, consequenter veritatem eventus a Socrate narrati, in dubium vocaverunt. Inter alios Baronius eam impugnavit et quidem hac innixus ratione: Concilium Nic. can. III, coelibatum clericis praescripsit, nam prohibet clericis retinere secum feminas in suis domibus, excepta matre, sorore et amita. Nequit ergo, ut patet, narratio Socratis vera esse.

Bellarminus rationi Baronii minime acquiescens, aliam excogitavit explicationem. Asserit igitur eam (Socratis narrationem) ab ipso Socrate fictam el excogitatam fuisse, et quidem in favorem Novatianorum, et concludit narrationem ta-

---

1. Migne, P. G., v. LXVII, col. 101.
2. Migne, P. G., v. cit., col. 637,

lem nullam mereri fidem, quia ejus auctor frequenter partium redolet studio [1].

Valesius argumentatur ex silentio; nempe Rufinus narrat in sua *Historia ecclesiastica* non pauca de S. Paphnutio, martyrium, miracula, in quanto honore ab Imperatore habebatur, etc; et tamen nullam de legis coelibatus rejectione in Concilio nicaeno facit mentionem. Praeterea in nullo Concilii catalogo Paphnutii nomen invenitur [2].

Denique ille, qui magis omnibus aliis conatus est demonstrare citatam narrationem falsam et fictitiam esse, fuit G. Bickell. Eo ipso quod neque Rufinus, neque Theodoretus aliquid de tali re dicant, ansam invenit suspicandi de ejus veritate, praesertim cum Socrates *Historiam ecclesiasticam* 115 annis post Concilium scripserit [3]. S. Epiphanius, addit auctor, qui 50 annis post Concilium ita determinate affirmat episcopos, diaconos, presbyteros, subdiaconos, ad coelibatum teneri, et quidem vi legis apostolicae; et Eusebius, Concilii membrum, qui nos docet clericos ad continentiam obligari, majoris sunt ponderis quam Socrates. G. Bickell videt apertam contradictionem inter affirmationem duorum Episcoporum et praedictam narrationem [4]. Praeterea G. Bickell opinatur Socratem saltem amicum admiratoremque Novatianorum fuisse, (quod fuse probat), atque eum talem finxisse narrationem ad favorem eorum sibi conciliandum benevolentiamque captandam [5].

Postremo ultimum argumentum, quo veritatem narrationis infirmare intentat G. Bickell, sumit ipse ex fontibus, ex quibus Socrates notitiam facti haurire potuit. Ipse testatur se factum scivisse a quodam presbytero, novatiano, Auxani nomine, qui adhuc juvenis, ut comes ministerque cujusdam Episcopi Akesii Concilio interfuerit.

Huic vero fonti G. Bickell neque momentum neque fidem praebet, et quidem hac de ratione; ipse Auxanon Socrati

---

1. Cf. Bellarminum., Op. omnia, v. 1, lib. 1, cap. XX, p. 463-464.
2. Cf. Valesium, «Annotat. ad Socratis historiam eccles.» I, 11.
3. Cf. G. Bickell, op. cit., v. cit., p. 57.
4. Cf. G. Bickell, ibidem, p. 57-58.
5. Cf. G. Bickell, ibidem, p. 58-60.

narravit se oculis conspexisse miraculum quoddam insigneque portentum a quodam monacho eutichiano patratum, quod nemo non videt vanum fictumque commentum esse. Eamdem igitur, ait G. Bickell, fidem meretur Auxanon narrans miraculum suis oculis conspectum, atque dum de oppositione Paphnutii coelibatus legi in Concilio testificatur.

Nihilominus moderni scriptores communi consensu Socratis narrationen velut veram reique conformem admittunt, affirmanturque rationes desumptas sive ex aliorum scriptorum, silentio, sive ex fonte, ex quo eam hausit, sive denique eo quod scriptor Novatianismi labe fuerit infectus, nullius esse roboris contra narrationis historicitatem. Permolestum esset supradictorum scriptorum referre rationes, quibus Socrates veridicum fuisse testem, ostendere conantur. Qui rem maturius perpendere peroptat, consulat inter alios Ch. J. Hefele, [1] E. Vacandard[2], atque praesertim F. X. Funk. [3].

Examen tantum instituam circa quamdam rationem ex testimoniis Eusebii et S. Epiphanii, qui Concilio interfuere desumpta, quaeque G. Bickell convincens videtur. G. Bickell opinatur inter S. Epiphanium affirmantem circa annum 373 episcopos, presbyteros, diaconos et subdiaconos ad coelibatus observationem teneri et quidem vi legis apostolicae, Eusebium asserentem decere clericis perpetuam incolumemque continemtiam et inter narrationem memoratam, oppositionem claram et apertam esse, supradictosque Episcopos pleniorem quam Socratem mereri fidem [4].

Sed neque haec ratio nos cogit ad manus victas tradendas. Re sane vera, inter eventum a Socrate narratum tempusque quo praedicti Episcopi scripserunt, spatium quinquaginta ferme annorum lapsum fuit, et nemo non videt illos scriptores potuisse suam mutare sententiam. Praeterea Socrates non asserit omnes Concilii episcopos legi coelibatus sese opposuisse, sed contrario affirmat, bene visum fuisse quibusdam episcopis, ex quibus potuit esse Eusebius, legem continentiae im-

1. Cf. Ch. J. Hefele, Conciliengeschichte, (2.ª edit) v. I, p. 431-435.
2. Cf. E. Vacandard, op. cit., p. 94-98.
3. Cf. F. X. Funk, op., p. 149-151.
4. Cf. F. X. Funk, ibidem, p. 152.

ponendam; neque denique negat Concilio interfuisse episcopos qui opinabantur legem supradictam ab Apostolis impositam fuisse, quod revera accidere potuit.

Fatendum igitur est nullam nos habere firmam solidamque rationem, ad narrationem Socratis rejiciendam, aut rem in dubium revocandam. Verum quidem est ipsum contra coelibatus sensisse legem, ut apparet tum ex ipsa narratione, tum dum de diversis ecclesiarum consuetudinibus, lib. V, cap. XXII, agit.

Postquam oppositas exposuimus sententias, consentaneum est, ut quid de hac sentiam re, paucis absolvam.

III.

Sententia, quae mihi magis arridet, exponitur atque demonstratur.

Necessarium non est dicere, quae sit mea sententia circa originem legis coelibatum ecclesiasticum clericis majoribus imponentis; ille enim qui expositionem duarum sententiarum a me factam legerit, scit cuinam earum mens mea propensa sit. Etsi non omnia argumenta testimoniaque a F. X. Funk adducta, mihi placeant, atque opiner non pauca eorum nullam habere vim, tamen ejusdem sum opinionis atque assero:

a) Coelibatus legem non fuisse ab Apostolis praescriptam.

b) Clericos ante ordinationem matrimonio junctos non teneri ad coelibatum [1], sed e contrario licite atque jure potuisse conjugali uti commercio.

Primum argumentum est obvium; nullam habemus praescriptionem Apostolorum coelibatum imponentem; atque patroni

1. Tribus primis Ecclesiae saeculis.

propugnatoresque apostolicitatis legis coelibatus numquam eam invenire potuerunt.

Meum assertum magis magisque roboratur firmaturque, si opera scriptorum trium primorum saeculorum perleguntur atque considerantur. Nullus scriptor illius temporis testificatur aut supponit existentiam legis coelibatus, ut demonstratum est [1]. Opinor autem ego Origenem, Tertullianum aliosque qui tot laudibus virginitatem et continentiam extulerunt celebraruntque, qui eam multis suaderunt atque commendarunt, legis mentionem fecisse, si revera ipsa exstitisse atque ipsorum tempore viguisse. Illi qui hujus argumenti vim et pondus perspicere peroptant, suadeo lectionem operum Tertulliani *De monogamia* et *De exhortatione castitatis*.

Non desunt praeterea testimonia Patrum et scriptorum ecclesiasticorum, quae cum existentia hujus legis componi non possunt neque conciliari, sed e contrario testificantur aut legem non existere, aut Patres eam ignorasse.

a) *Constitutiones apostolicae* (400) in can. IV, clare et aperte permittunt clericos majores ante ordinationem conjugio vinctos, matrimonio uti. Hoc exploratum compertumque habemus [2].

b) Dictum est factum Paphnutii in Concilio Nicaeno a Socrate in *Historia ecclesiastica* narratum, historicum esse et Socratem plenam mereri fidem. Oppositio autem Paphnutii ejusque ad episcopos oratio supponunt continentiam perpetuam a multis clericis servatam non fuisse, nullam legem nullumque praeceptum eam imponentem exstitisse.

c) S. Cyrillus Hierosolymitanus aliud nobis praebet argumentum. S. Doctor in *Katechesi* XII demonstrare vult B. V. Mariam in conceptione Salvatoris virginem permansisse, et hanc affert rationem: Εἰ γὰρ ὁ τῷ Ἰησοῦ καλῶς ἱερατεύων, απέχεται γυναικὸς, ipse Jesus ex viro et muliere, quomodo proditurus esset?» [3] Re quidem vera si quaedam lex apostolica ejus tempore fuisset, aut eam S. Cyrillus novisset, non

1. Cf. parag. I, p. XIV-XXIII.
2. Mansi, v. II, col. 1101. Vide parag. II, p. XXVII.
3. Migne, P. G., v XXXIII, col. 757.

usus fuisset voce καλῶς, neque vim argumenti minuisset. Ejus verba certo essent: Si ille qui munere sacerdotis coram Jesu fungitur, debet se a muliere abstinere...

Mens S. Cyrilli clara est. Perpetua clericorum continentia desideratur atque praefertur atque clericos coelibes perfectiores et digniores existimantur clericis matrimonii usum facientibus.

Nolo diutius haerere immorarique in hac quaestione, testimonia meo judicio invicta fortiaque exposui breviter. Lector potest consulere F. X. Funk [1].

***

Demonstratum est legem coelibatus non fuisse ab Apostolis impositam; tamen quaestio de origine coelibatus non est perfecte tractata atque exhausta, ut opinor. Perpetua continentia fuit praescripta in saeculo quarto, ipsa vero non habuit ortum hoc tempore. Jam ab initio Ecclesiae magno pretio aestimata atque commendata fuit atque in optima habita opinione. Haec vero existimatio paulatim evoluta fuit, atque saeculo jam dicto legem introduxit. Lex ergo coelibatus latebat jam ab initio Ecclesiae in magno pretio et opinione, in quibus habebatur. Videamus igitur qualis fuerit continentiae existimatio in omnibus populis tempore Cchristi:

Omnes populi tempore Jesu Christi in magno honore continentiam habebant, atque putabant eos, qui a commercio carnali se continebant, aptiores esse ad servitium deorum peragendum.

Populus romanus ornabatur suis vestalibus virginibus, quarum incontinentia severissime puniebatur. Virgines erant Sybillae quae responsa deorum hominibus afferre censebantur. «Cereris sacerdotes mulieres, viventibus viribus, amica separatione viduabantur», dicit Tertullianus [2].

Choeremon, philosophus stoicus, quamdam Aegypti scripsit historiam. Haec historia hodie desperdita est. Quoddam ta-

---

1. Cf. F. X. Funk, op. cit., v. cit., p. 141-155.
2. Cf. Tertullianum, «De Monogamia», cap. XVII; Migne, P. L., v. II, col. 953.

men fragmentum servatum fuit a Porphyrio in lib. *De abstinentia*, IV, 6-8, et adducitur a S. Hieronymo in lib. *Adversus Jovinianum*, lib. II, cap. 15. «Choeremon stoicus, vir eloquentissimus narrat de vita antiquorum Aegypti sacerdotum »quod... numquamm ulieribus se miscuerint, numquam cognatos et propinquos, ne liberos quidem viderint, ex eo tempore quo coepissent divino cultui deservire »[1]; Choeremon scripsit in saeculo primo Ecclesiae.

Populi *Semitici* putabant sacerdotes sua officia muneraque in templo implentes, ab omni sorde puros esse debere. Hac de causa eorum vestimenta lavabant aliosque faciebant ritus [2].

Ipse populus Israel etsi virginitatem perpetuam, sterilitatemque contemneret, viduitatem ut opprobium respiceret, ut SS. Patres dicunt; ipsum tamen commercium conjugale immumdum impurumque judicabant. In Exodo enim cap. XIX, 10. praecipit Deus Moysi: «Vade ad populum, sanctifica illos hodie et »cras; laventque vestimenta sua, 11, et sint parati in diem »tertium; in die enim tertia descendet Dominus coram omni »plebe super montem Sinai... 14... cumque lavissent vesti»menta sua, 15, ait ad eos: Estote parati in diem tertium, et »ne appropinquetis uxoribus vestris». In Levit. (XV, 16-18.) Dominus declarat immundos eos, qui commercio conjugali usi fuerant, immundique permanebant usque ad vesperum. Immundi autem non poterant ad domum Dei accedere.

Omnibus notum et compertum est, quid respondit Achimelech sacerdos Davidi fame laboranti: «Non habeo laicos panes «ad manum, sed tantum panem sanctum; si mundi sunt pueri »maxime a mulieribus.» (I Reg. XXI, 4-5).

Josephus F. affirmat Essenios coelibatum et continentiam servavisse [3].

Ex verbis S. Lucae in Evang. (I, 23-26) super Zachariam patris Joannis Baptistae, infertur illum tempore officii sui in templo a sua uxore separatum disjunctumque fuisse; et in eodem Evang. (II, 36-39) laudibus extollitur Anna prophetissa

1. Migne, P. L., v. XXIII. col. 302.
2. Cf. Lagrange «Études sur les relig. sémitiques», Paris, 1905, p. 141-157.
3. Cf. Josephum F., Bell. jud., II, cap. VIII, 2-7.

»filia Phanuel..., vidua usque ad annos octoginta quatuor, »quae non discebebat a templo, jejuniis et obsecrationibus »serviens nocte ac die».

Ex his omnibus testimoniis eruitur Judaeos actum conjugalem immundum judicavisse et tempore Jesu Christi multos fuisse qui coelibatum et continentiam conjugio praeferebant.

***

In novo vero Testamento solummodo virginitas et continentia honore habetur debito et digno pretio aestimatur. Duabus rationibus continentia laudatur atque effertur: eximit enim a servitute conjugali et paratiorem facit hominem, ad voluntati Dei obsequendum; et secundo prohibet atque impedit commercium conjugale, quod immundum atque indignum est praesertim iis, qui coram Deo aderant.

Dominus noster Jesus Christus discipulis dicentibus, «si ita »est causa hominis cum uxore, non expedit nubere», respondit: «Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est... »sunt eunuchi qui se ipsos castraverunt propter regnum coelo»rum.» (Matth. XIX, 10-13). In eodem Evang., c. XXII, severe redarguit Sadducaeos: «Erratis nescientes Scripturas, neque »virtutem Dei; in resurrectione enim neque nubent, neque nu»bentur, sed erunt sicut angeli Dei in coelo.» Apostolis ob conjugalia officia perterritis, suadet Salvator continentiam; Sadducaeis moribus corruptis, asserit conjugia nuptiasque indignas esse filiorum Dei in coelis. Haec verba Salvatoris fuerunt fundamentum et ratio propter quam continentia et coelibatus in tanto honore et pretio in Ecclesia catholica habiti atque aestimati fuerunt, et ex quibus paulatim lex coelibatus lenta evolutione exorta fuit.

S. Paulus adhuc clarius ostendit significatque has duas continentiae utilitates atque commoda. In Epist. ad Corinth. I. c. VII, 5, supponit usum conjugii quoddam impedimentum orationi esse. μὴ ἀποστερεῖτε ἀλλήλους, εἰ μήτι ἄν ἐκ συμφώνου πρός καιρὸν ἵνα σχολάσητε τῇ προσευχῇ; et in eodem capite ver. 32-35; enumerans utilitates et commoda continentiae a conjugii servitute eximentis, ait: «Volo autem vos sine sollicitudine esse. Qui »sine uxore est, sollicitus est quae Domini sunt, quomodop la-

»ceat Deo. Qui autem cum uxore est, sollicitus est quae sunt »mundi, quomodo placeat uxori et divisus est. Et mulier »inunpta et virgo cogitat quae Domini sunt, ut sit sancta corpore »et spiritu. Quae autem nupta est, cogitat quae sunt mundi, »quomodo placeat viro».

Neque Salvator, neque S. Paulus praeceptum servandi continentiam dant; commendant et suadent tantum ejus observantiam, laudibusque efferunt.

Meum non est investigare, quot homines mulieresque consilium S. Pauli in partes traxerit continentiae, quot scripta in laudem virginitatis Patribus inspiraverit. Meum tantummodo est elucidare, quomodo verba S. Pauli: «Nolite fraudere invi»cem, nisi forte ex consensu ad tempus ut vacetis orationi,» fuerunt ratio, propter quam lex coelibatus imposita fuit.

Opinor ego (et quidem valida argumenta mihi non desunt) omnes christianos sive clericos, sive laicos aliquo modo ad continentiam esse obligatos, antequam scilicet ad publicam accederent orationem, aut Communionem reciperent. Haec autem consuetudo ortum habuit jam ab initio Ecclesiae ex interpretatione verborum S. Pauli: «Nolite fraudare invicem...

Prababilissimum est immo et certum S. Paulum his verbis indicare usum conjugii quodammodo impedimentum orationi esse, et orationem continentium digniorem Dei esse, quam orationem incontinentium. S. vero Paulus numquam cogitavit accessum ad publicam orationem aut Communionem interdicere eis, qui matrimonii usum faciebant. Et tamen ita fuerunt interpretata ejus verba.

Primus scriptor qui hanc interpretationem S. Pauli verbis dedit, fuit Tatianus in lib. *De perfectione secundum Servatorem*. Tatianus, ut scimus, impugnavit matrimonium, atque ex verbis S. Pauli supradictis deducebat duo esse tantum hominum genera, eorum scilicet, qui procreationi filiorum operam dabant et matrimonio utebantur, et eorum qui continentiam servabant, ut orationi vacare possent. Ideoque statuebat oppositionem et impossibilitatem inter usum matrimonii et orationem. [1].

1. Cf Clementem Alexan., lib. III Stromatum, cap. XII, ubi sententia Tatiani adducitur atque impugnatur. Migne, P. G., v. VII, col. 1187.

Clemens Alexandrinus in *lib. III Stromat.* cap. XII, explanans Epistolam I S. Pauli ad Corinth. cap. VII, ait: «aliquan»do honestum conjugium cessat procreationem filiorum, ad »vacandum orationi.» [1].

Idem scriptor in *lib. III Paedagogi* cap. XI, exigit a fidelibus «ut vir et mulier veniant ad ecclesiam, honeste induti, casti cor»de et casti corpore, ad rogandum apti,» [2]. Evidens est scriptorem verborum S. Pauli mentionem facere. Doctrina igitur et opinio circa oppositionem inter usum matrimonii et orationem, magis magisque evolvitur roboraturque in dies.

Haec oppositio clarior adhuc apparet in Origine. Ipse, *Homilia XXII in Numeros*, explicat allegorice diversas veteris Testamenti festivitates, et ait: «Prima est festivitas Dei, quae »appellatur *indesinens*, de iis enim mandatur, quae indesi»nenter et sine ulla prorsus interruptione, matutinis et ve»spertinis sacrificiis offerantur.» Haec festivitas *indesinens* appellata, est juxta Origenis interpretationem, oratio continua et indesinens justorum christianorum. In hac oratione continua neque peccatores, neque matrimonii usum facientes partem sumere possunt; et concludit: «Certum est quia impedi»tur sacrificium indesinens iis, qui conjugalibus necessitatibus »serviunt. Unde videtur mihi quod illius est solius offerre sa»crificium indesinens, qui indesinenti et perpetuae se devoverit castitati. [3].»

Opinio Origenis aperta et clara est; usus matrimonii impedit orationem. Origenis probat suam sententiam verbis S. Pauli jam citatis.

Eamdem exprimit sententiam in *Commentariis in Mattheum* n. 33, ubi redarguit Sadducaeos, dicens: «futurumque »autumant ut tunc quoque venereis utamur congressibus, prop»ter quos orationi vacare minime licet; cum polluti quodammo»do et immundi sint, qui venereis rebus utuntur.» [4].

Canones Dionysii Alexandrini eamdem docent doctrinam, can. II, legitur:... «Orare enim quomodocumque se habeat,

1. Cf. Clem. Alex., ibidem; Migne, P. G., ibidem.
2. Migne, P. G., v. VIII, col. 349.
3. Migne, P. G., v. IX, col. 672.
4. Migne, P. G., v. X, col. 977.

»aliquis; et utcumque sit affectus; Domini meminisse, et auxi-»lium implorare, non est reprehendendum. Ad sancta autem »sanctorum, qui non anima et corpore purus est, accedere prohibebitur.» [1].

Priusquam testimoniis Ecclesiae orientalis finem imponam, liceat mihi mentem S. Cyrilli Hierosolymitani et Timothei Episcopi Alexandrini exponere, seu potius ipsorum verba afferre.

S. Cyrillus Hierosolymitanus, in *Katechesi* IV, virgines et continentes alloquitur suadetque, ne laicos matrimonio junctos contemnant: «Neque si possideas aurum, reprobes argentum: »imo bene sperent etiam hi, qui matrimonio juncti, legitime »nuptiis utuntur; qui conjugia legitima et non per nimiam »licentiam lasciva comparant, qui sciunt abstinentiae tempora »ut orationi vacent, qui cum vestimentis pura ad sacram com-»munionem in ecclesia offerunt corpora, qui procreandorum »liberorum causa, non fruendae voluptatis, accesserunt ad «nuptias. [2].

Denique ultimum testimonium Ecclesiae orientalis est desumptum ex *Responsa canonica* Timothei, Episcopi Alexandrini, (380—384).

«*Interrogatio:* si sponsi noctu matrimonii usum fecerint, »debent ne communicare an non?»

«*Responsio:* Non debent, cum clamet Apostolus: Ne frau-»date vos invicem, nisi ex consensu ad tempus, ut vacetis »orationi.» (I Corinth. VII, 5) [3].

«*Interrogatio:* si laicus qui somniavit, clericum interroga-»verit; an debet ei permittere communicare an non?»

«*Responsio:* Si subest quidem mulieris desiderium, non de-»bet; sin autem tentat eum satanas, ut per hanc occasionem »a divinorum mysteriorum communione alienetur, debet com-»municare; neque enim cessabit illum eo tempore tentare; »quando debet communicare, eum invadens.» [4].

»*Interrogatio:* Iis, qui matrimonii societate junguntur in

1. Hardouin, Concilia, v. I, col. 190.
2. Migne, P. G., v. XXXIII, p. 506.
3. Hardouin, Concilia, v. I, col. 1.194.
4. Hardouin, Concilia, v. I, col. 1.194.

»quibusnam septimanae diebus proponere oportet, ut a mu-»tuo congressu abstineant, et quibusnam potestatem ha-»beant?»

»*Responsio:* Quod ante dixi, nunc quoque dico: Ne fraude-»tis vos invicem... Necessario autem sabbato et die dominico »abstinere oportet, quod spiritale sacrificium in eis Domino »offeratur.» [1].

Omnia testimonia adducta pertinent ad Ecclesiam orientalem. Mens igitur sententiaque horum scriptorum manifesta et aperta est.

Unicum testimonium Ecclesiae occidentalis nobis praebet S. Hieronymus. Lubet ipsa ejus verba transcribere, ut unusquisque suam opinionem sibi efformare possit, et de earum valore et vi melius judicare. In *Epistola ad Pommachium* (*Apologia pro libris contra Jovinianum*) ait: «Tumeant »contra me mariti, quare dixerim: Oro te quale illud bonum »est, quod orare prohibet; quod corpus Christi accipere non »permittit? quando impleo mariti officium, non impleo conti-»nentis. Jubet idem Apostolus in alio loco, ut semper ore-»mus (I Thes. 5). Si semper orandum est, numquam ergo con-»jugio serviendum, quoniam quotiescumque uxori debitum »reddo, orare non possum. Hoc quare dixerim, perspicuum »est, quia interpretabar illud Apostoli dictum. Nolite frau-»dari invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis »orationi... An idcirco arguor, quod de meo ausus sum adji-«cere: quale illud bonum est, quod corpus Christi accipere »non permittit? Ad hoc breviter respondebo: Quid est majus »orare, an corpus Christi accipere? Utique accipere corpus »Christi. Si per coitum quod minus est impeditur, multo ma-»gis quod majus est... Scio Romae hanc esse consuetudinem, »ut fideles semper Christi corpus accipiant, quod nec repre-»hendo nec probo: Unusquisque enim in suo sensu abundat. »(Rom. 14) Sed ipsorum conscientiam convenio, qui eedem »die post coitum communicant... quare ad martyres ire non »audent? quare non ingrediuntur ecclesias? An alius in publi-»co, alius in domo, Christus est? quod in ecclesia non licet,

---

1. Ibidem, col. 1.165.

»nec domi licet. Nihil Deo clausum est, et tenebrae quoque »lucent apud Deum.» [1].

Unamquamque assertionem S. Hieronymi ipsarumque momentum ponderare oportet. S. Doctor affirmat:

a). usum conjugii orationem impedire. Haec autem sententia erat Hieronymo propria, atque Romani ejusdem opinionem non sequuntur.

b). Corpus Christi recipere non debere, qui commercio usus fuerit carnali. Romani tamen contrariam habebant consuetudinem, quotidie enim Corpus Christi sumebant.

c). Romani communicabant quotidie, non tamen in ecclesiis, sed in eorum domibus.

d). Romani qui usum conjugii fecerant, neque communicare publice, neque ad martyres ire, neque ecclesias ingredi audebant.

Certum habeo consuetudinem hanc Romanorum, non ingrediendi scilicet ecclesias, postquam matrimonio usi fuerant, ratione verborum S. Pauli supradictorum introductam fuisse, eamque antiquissimam esse.

Vidimus coelibatus prima vestigia in supradictis, atque evolutioni futurae legis coelibatus adfuimus. Conspeximus quomodo, juxta mentem Salvatoris, duo commoda continentia homini affert, exemptionem scilicet a conjugii servitute et liberationem ab actu impuro carnis. Haec duo continentiae commoda perfectionesque magis adhuc explicite et clare exprimuntur a S. Paulo in Epist. ad Corinth. (I, c. VII, 5.) Conjugium, sententia S Pauli, primo redigit hominem in servitutem, et secundo ejus actus est aliquo modo orationi obstaculum, impurus et immundus. «Nolite fraudare invicem nisi ex con»sensu ad tempus, ut vacetis orationi.» Haec verba S. Pauli occasionem dederunt et ansam, ut fideles primaevae Ecclesiae opinarentur, usum matrimonii esse quoddam impedimentum orationi, rem impuram et immundam, indignam ei qui orationi vacare vult. Haec sententia firmata atque roborata primis Ecclesiae temporibus, atque in Oriente ac Occiden-

---

1. Cf. S. Hieronynum, Ep. cit., n. 15; Migne, P. L., v, XXII, col. 505-506.

te propagata fuit. Vi hujus communis sententiae, etiam in tribus primis Ecclesiae saeculis, clerici et laici aliquo modo ad continentiam tenebantur partialem; scilicet, priusquam ad sacram Communionem, aut publicam accederent orationem, conjugii usum per aliquod tempus abdicare debebant.

Lex ergo coelibatus longam moram non faciet, neque tardabit. Patres, si logici et consequentes esse volunt, legem hanc et obligationem imponere debent clericis, qui, persecutionibus cessantibus, quotidie in ecclesiis servient, quotidie fere sacramenta contrectabunt. Et re sane vera Patres logici fuerunt et coelibatum clericis imposuerunt, ut videbimus in sequentibus capitibus.

CAPUT I

Coelibatus introductio in Hispania (300-400)

I.

Primum decretum super coelibatu. Ejus effectus.

Anno 300, episcopi, presbyteri et diaconi fere omnium Ecclesiarum Hispaniae, in civitate Illiberi, in concilium congregati [1], novam legem clericis majoribus matrimonio junctis, imposuerunt; canone enim XXXIII determinarunt: «Placuit in »totum prohiberi episcopis, presbyteris, et diaconis vel omni»bus clericis positis in ministerio, abstinere se a conjugibus »suis et non generare filios; quicumque vero fecerit, ab hono»re clericatus exterminetur.» [2].

En primum praeceptum, quod coelibatus obligationem clericis majoribus praescribit in Ecclesia, et quidem sub poena depositionis, et initium constituit historiae legislationis ecclesiasticae circa coelibatum. Illud respicit, ut patet, clericos qui matrimonio juncti, ad sacros accessere ordines; et ex eis

1. Concilium Illiberitanum fuit nationale totius Hispaniae,et quidem primum omnium Hispaniae congregatorum. Hodie ab omnibus admittitur Concliium habuisse locum circa annum 300. (Cf. H. Leclercq, «L' Espagne chrétienne», (ed. 2.ª) p. 58-59; et Duchesne, «Le Concile d' Elvire et les flamines chrétiens», in «Mélanges Renier», 1886, p. 160-161.)
2. Mansi, v. II, col. 10.

solummodo episcopos, presbyteros et diaconos in ministerio positos, id est, qui suis fungebantur sacris muneribus. [1].

Canon Concilii valde concisus et brevis est, nullamque claram notitiam profert, quae observationem coelibatus tempore Concilii nobis prodat reveletque. Hoc non obstante, haud temerarium est neque inconsultum, conjicere et affirmare coelibatum esse a multis clericis, imo a maxima parte istorum, libere observatum hoc tempore. Praeceptum enim, (utpote a quodam Concilio, ubi opinio majoris partis praevalet, introductum), fuit admissum et impositum a majori parte Concilii; et consequenter major pars, si non necessariam, saltem convenientissimam perpetuam continentiam clericorum judicabat, et credendum est eam etiam in praxi observavisse. Tamen ex eo quod Concilium praeceptum dare et illud severa sancire poena necessarium duxit, etiam inferri potest non defuisse clericos quosdam, qui juribus matrimonii utebantur, et a communi discrepabant praxi.

Difficile non est, praedictis suppositis, immediatos hujus decreti effectus determinare. Coelibatus a majori parte jam observatus, atque lege et sanctione roboratus, magis magisque firmatus fuit. Non pauci eorum, qui ante decretum generationi filiorum dabant operam, post illud ab ea cessarunt, saltem qui pii et boni erant, et in potioribus commorabantur civitatibus. Numerus igitur clericorum perpetuo continentium crevit auxitque Concilii praescriptione; etsi non defuere clerici, qui decreto Concilii non obsecundarunt; sed ei surdas praebuerunt aures. Perdifficile enim erat clericis vitae conjugali assuefactis, subito et necessario illam abdicare, praesertim iis qui continuo soli cum suis uxoribus commorabantur. Non erit longe a veritate ille, qui affirmaverit nonnullos clericos, postquam decreto Concilii excitati, firmum propositum conti-

---

1. Quidam scriptores opinati sunt voces, «vel omnibus clericis positis in ministerio», clericos minores designare. Ita Moy, «Geschichte des Christlichen Eherechts», Regensburg, 1883, p. 441; Kober, «Deposition und Degradation», Tübingen, 1867, p. 672; et alii. Hodie vero ab omnibus admittitur praedicta verba designare solummodo episcopos, presbyteros et diaconos. Vide E. Vacandard, op. cit., p. 103, (nota 5.)

nentiam observandi fecerunt, id tenere non valuisse, et propter debilitatem vel propter pericula, quibus continuo expositi erant, iterum ad conjugale rediisse commercium. En observatio coelibatus in Hispania tempore Concilii Illiberitani et sequentibus annis.

Ex alia parte scimus circa annum 380 magnam relaxationem coelibatus in Hispania serpere, multosque fuisse clericos matrimonii jura abdicare renuentes. Quae igitur fuerunt coelibatus vicissitudines in hoc temporis lapsu? Decretum Concilii Illiberitani fuit-ne statim oblivioni traditum, quin episcopi illud in praxim reducere conarentur, adeo ut Episcopus Tarraconensis Himerius primus revera fuerit, qui observationem coelibatus introducere atque stabilire tentavit?

Probabilissimum est, ut opinor, decretum Concilii generaliter observatum fuisse, factionemque clericorum coelibatum aperte impugnantium, quae postea insurrexit, post dimidium saeculum quartum ortum habuisse. Hac igitur ratione talis inobservatio finis saeculi *vera relaxatio* fuit et appellanda est.

Nullum quidem testimonium scriptum existit, quod aperte statum coelibatus per hoc tempus nobis revelet. Patres et episcopi disputationibus querelisque Arianorum intenti, nihil in scriptis reliquerunt, quo coelibatus progressus indagare possimus. His non obstantibus, praedicta assertio non caret omnino argumentis solidisque rationibus. Re quidem vera:

a) Lex coelibatus in Hispania non fuit imposita violenter, et multis clericis protestantibus; sed e contrario consuetudine inducta et jam prius *a maxima et optima clericorum parte* observata. Credendum est *hanc maximam et optimam partem* post decretum coelibem continentemque permansisse, atque nonnullos clericos ante decretum incontinentes, post illud continentiae adhaesisse, ut dictum est.

b) Episcopi, et quidem non pauci, voluerunt decretum Concilii Illiberitani ad omnes extendere Ecclesias in Concilio Nicaeno [1]. Rationi consonum est judicare, episcopos hispanos

1. Cf. Socratem, «Historia ecclesiastica», lib I, cap. XI; Migne, P. G., v. LXVII, col. 101; et Sozomenum, «Historia eccles.», lib. I, cap. 23; P. G., v. LXVII, col. 925.

hanc partem tenuisse, ideoque ordinationem Concilii Illiberitani oblivioni non tradidisse.

c) Tam coelibatus defensores, quam ejus impugnatores qui circa finem saeculi quarti vixerunt, ignorabant eorum praedecessores legitime matrimonio usos fuisse. Aliter enim neque S. Siricius affirmaret coelibatum ab Apostolis fuisse impositum [1], neque ejus adversarii recurrerent ad sacerdotum veteris Testamenti exempla, ad suam incontinentiam defendendam [2].

d) Denique certum est factionem praedictorum clericorum coelibatus obligationem impugnantium, ortum habuisse post Concilium Nicaenum. Si enim talis factio tempore Concilii jam orta fuisset, necessario sciret factum Paphnutii et libertatem a Concilio concessam, atque certe eis usa esset velut argumentis contra coelibatus obligationem.

Jure ergo concludendum est coelibatum in Hispania generaliter, (et quidem non libere sed necessario vi legis) observatum fuisse ex initio saeculi quarti, usque ad medium saeculum quartum circiter. Hoc autem tempore magna coelibatus relaxatio serpere incoepit. De ea autem in sequenti agam paragrapho.

II.

Inobservatio coelibatus ecclesiastici, saeculo quarto ad finem currente. Causae hujus inobservationis. Priscillianus.

Primum testimonium quod nobis relaxationem et inobservantiam coelibatus ecclesiastici testificatur, anno 385 fuit scriptum. Ipsum nobis indicat florentissima coelibatus tempora elapsa fuisse, multosque clericos legem Concilii Illiberitani, ut pondus intolerabile humanasque superans vires, rejecisse.

---

1. Cf. Siricium, Epist. ad Himerium, cap. VII,—10; Migne, P. L., v. XIII, col. 1138; et Epist. ad Episcopos Africae, cap. VIII, 3; Migne P. L., v. XIII, col. 1160-1161.
2. Cf. Siric. Epist. ad Himer., cap. VIII 9; Migne, P. L., ibidem.

Testimonium istud est *Epistola S. Siricii ad Himerium Tarraconensem Episcopum* [1].

Factio quaedam insurrexit, cui non parvus clericorum numerus adhaesit [2], et quae tenaciter coelibatum impugnavit [3]. Clerici ad eam pertinentes, non solum secrete et in occulto incontinentiae suae laxabant habenas, sed etiam publice et coram populis, jus procreandi filios clericis vindicabant [4]. Clerici majores, juxta illos, habere uxores atque matrimonii juribus uti poterant, sicut caeteri homines. Non tantum diaconi, sed etiam presbyteri et episcopi factionis hujus partes susceperunt et post multa sacerdotii sui tempora filios genuerunt [5]. Adeo fortis validaque evasit ipsa factio, ut Episcopum Tarraconensem coegerit recurrere ad Romanum Pontificem, ut relaxationi remedium et finem iste imponeret. Romanus Pontifex «plurimos» esse hujusmodi dissidentes clericos affirmat [6]. Haec coelibatus inobservatio per totam Hispaniam, praecipue autem per provinciam Tarraconensem, irrepserat [7], eaque ad provincias Galliae, Hispaniae finitimas, extendebatur [8]. Duo erant clericorum incontinentium genera; eorum minima quidem pars legem coelibatus ignorabat, ideoque magis ignorantia, quam malitia lapsi fuerat. Alii vero (longe major pars) legem cognoscebant et scienter eam rejicere conabantur, propugnantes se jus habere generandi filios, quia vetus Testamentum hujusmodi jus sacerdotibus concesserat [9].

Etsi ex anno 385 tantum primam relaxationis notitiam habeamus, ejus origo ante annum 360 ponenda est. Hujusmodi enim relaxationes lento gradu introducuntur et circa annum

---

1. Migne, P. L., v. XIII, col. 1138-1141.
2. «Plurimos enim sacerdotes Christi atque levitas post longa consecrationis suae tempora, tam de conjugibus propriis, quam de turpe coitu sobolem didicimus procreasse». S Siricius, ibidem, cap. VII; Migne, loc. cit., col. 1138.
3. Cf. S. Siricium, ibidem, cap. VII, 9, et 11; Migne, loc. cit., col. 1138 et 1141.
4. Cf. S. Siricium, ibidem.
5. Cf. S. Siricium, ibidem cap. VII, 8; Migne loc. cit., col, 1138.
6. Cf. S. Siricium, ibidem.
7. Cf. S. Siric., Epist. cit., cap. VII; Migne, P. L., v. XIII, col. 1138.
8. Hoc infertur ex Epist. S. Innocentii summi Pontificis ad Exuperium, Episcopum Tolosanum. Migne, P. L., v. XX, col. 496-497.
9. Cf. S. Siricium, loco cit.; Migne loc. cit., col. 1140.

380 validissima erat, et non deerant clerici qui legis coelibatus existentiam ignorabant [1]. Jure ergo ejus ortus ante annum 360 ponitur. Ex alia parte jam demonstratum est eam medio saeculo quarto, vel saltem Concilio Nicaeno, anteriorem non fuisse.

Quanto cum ardore quantisque curis episcopi operam dederint correctioni et emendationi clericorum incontinentium, et qualesfuerint fructus tantorum laborum, in sequentibus videbimus capitibus. Justum et consentaneum est, et res ipsa postulat, ut causas hujus relaxationis nunc investigemus.

Prima causa inobservationis coelibatus, quae cum certitudine determinari et indicari potest, fuit magna morum relaxatio, quae saeculo quarto serpsit in populis christianis. Cessantibus persecutionibus et conversis Imperatoribus ad Christianismum, plurimi gentiles religioni christianae sua dederunt nomina, non quidem divinitate religionis et veritate impulsi atque convicti, sed gratia Imperatorum allecti, et forsitan timore vindictae ex parte aliorum christianorum, moti et inducti. Hominum multitudines quae saeculo quarto ad Christum conversae sunt, necessario quamdam disciplinae relaxationem secum trahere debuerunt, ut in omnibus societatibus accidit. Effectus hujus generalis relaxationis morum et disciplinae, necessario in clericis etiam apparere debebant.

Praeterea maxima accidit mutatio in statu materiali clericorum. Post conversionem enim Imperatorum, episcopi qui tam crudeles et saevas persecutiones primis Ecclesiae saeculis sustinuerunt, saeculo quarto tantis honoribus divitiisque ab Imperatoribus cumulantur, tot privilegiis augentur, tantumque influxum acquisivere in civilem auctoritatem civiliaque negotia, ut episcopatus factus fuerit dignitas, ad quam omnes ambitiosi et honorum atque divitiarum appetitores tenderent. Effectus et consequentia logica et necessaria hujus status fuit, plurimos homines, qui nullum vocationis ecclesiasticae vestigium sentiebant, nullum sanctitatis et perfectionis desiderium habebant, ad sacros accessisse ordines, et postea in maximam morum relaxationem prolapsos fuisse.

---

1. Cf. S. Siricium, ibidem

Ita clare intelliguntur verba durissima S. Siricii de moribus clericorum Hispaniae in *Epistola ad Himerium*, cap. VII, 8: «Veniamus nunc ad sacratissimos ordines clericorum, quos »in venerandae religionis injuriam ita per vestras provincias »calcatos atque confusos, caritate tua insinuante, reperimus, »ut Jeremiae nobis voce dicendum sit: Quis dabit capiti meo »aquam... Plurimos enim sacerdotes Christi atque levitas, »post longa consecrationis suae tempora, tam de conjugibus »propriis, quam de turpe coitu filios susceperunt [1]».

Sulpicius Severus nigrissimis depingit coloribus duos Episcopos Hispaniae Idacium Emeritensem et Ithacium Ossonovensem [2]. Denique facillimum erat ad sacros ordines accedere etiam hominibus moribus et vita indignis; abusus enim in ordinandis clericis regnabant non pauci, adeo ut unusquisque episcoporum pro libitu suo in ordinationibus ageret, ut dicit Concilium Toletanum I (400). Sic explicatur et clare apparet, quare perpetua continentia, quae tribus primis Eclesiae saeculio a tantis clericis observabatur libere et absque ulla obligatione, et quae tam facile et absque protestatione ulla a Concilis Illiberitano imposita fuit, posteaquam obligatoria reddita fuit, et ut lex imposita, atque transgressores severissimis poenis puniti, a multis clericis violata atque ab illis aperte impugnata fuerit. Lex, quae a clericis tempore persecutionum et post redditam Ecclesiae pacem viventibus, dignissima et ferme facilis judicabatur, multitudini clericorum relaxatorum post medium soeculum quartum viventium, inutilis et observatione impossibilis apparere debuit.

Haec coelibatus inobservantia illo viguit tempore, quo Priscillianismus ortum habuit. Jure ergo investigandum est, quae fuerint relationes inter haec duo facta. Non desunt scriptores qui Priscillianum victimam clericorum relaxatorum credunt et asserunt. Hujus opinionis Gottfried Arnold [3]. et alii fuere.

---

1. Migne, P. L., v. XIII, col. 1138.
2. Cf. Sulpicium Severum, «Historia sacra», lib. II, cap. 50; Migne, P. L., v. XX, col. 157.
3. Gottfried Arnold, «Unpartheyische Kirchen-und Ketzer-Historien, vom Anfang des neuen Testaments bis auf das Jahr Christi 1688», v. I, p. 118 et seq., Schaffhausen, 1740.

Circa Priscillianum ejusque doctrinam et litteraturam, cf. Hilgenfeld in

H. Leclercq explicat Priscillianismum, ejus perturbationes, mortemque Priscilliani et suorum discipulorum sequentibus assertionibus: Ithacius nullo affectus erat amore erga eos Christi-fideles, quorum austera et mortificata vita suam immortificationem damnabat. Hac de causa odio afficiebatur erga Priscillianum. Ithacius autem et Priscillianus duas factiones, clericorum scilicet et monachorum representabant [1].

«Zeitschrift für wissenschaftliche Theologie», 1892, p. 1-85; et Karl Künstle, «Antipriscilliana», Freiburg im B., 1905; et M. Menéndez Pelayo «Opúsculos de Prisciliano y modernas publicaciones acerca de su doctrina» in «Revista de Archivos, Bibliotecas y Museos», 1899, p. 1-7, 65-75, 129-137, 450-460, 577-584.

1. Cf. H. Leclercq «L' Espagne chrétienne» p. 190-191. Ut sensus seumens D. H. Leclercq perfectius a lectore capiatur, necessarium duco ipsius afferre verba: «Derrière le voile d' hérésie, de magie, d' impudicité tendu pour tromper les esprits sur la portée véritable de l' affaire de Priscillien, se trouvait une question dont on ne fait guère de bruit et qui paraît être le véritable fond de toute l' intrigue. Rappelons-nous une phrase de la Chronique de Sévère qui nous mettra sur la voie: Ithace, dit-il, portait la folie jusqu' à incriminer comme complice ou disciple de Priscillien tout homme pieux, ayant le goût de l' étude ou s' imposant des jeûnes prolongés... Ithace, nous dit-on encore, était présomptueux, bavard, impudent, excessif dans ses dépenses, donnant trop à son ventre et à la gourmandise. Naturellement un personnage de cette qualité devait avoir peu de goût pour les fidèles dont la vie solitaire et mortifiée condamnait son intempérance. Là se trouve, semble-t-il, l' explication de sa haine pour Priscillien. Mais il ne s' agit pas ici d' une hostilité personnelle. Ithace et Priscillien sont représentatifs d' une société entiére.

Au IV[e] siècle après la paix de l' Eglise, l' invasion subite du christianisme par les foules avait brusquement altéré l' état des choses en vigueur jusque-là; à une élite succédait une cohue, la quantité remplaçait la qualité.. Le clergé, les évêques et les prêtres principalement, se trouvaient très éloignés de l' idéal évangélique; or l' avenir de l' Eglise, son existence ne pouvant être mise en question,—l' avenir fécondet prospére reposait tout entier sur le maintien de cet idéal qu' il fallait renouveler. Mais comment s' y prendre? On ne pouvait songer à ramener les évêques magnifiques à leur modeste condition d' autrefois. Le plus sage et le plus sûr parti était d' entreprendre, les yeux fixés sur l' idéal évangélique, la pratique des vertus qu' il impose, en s' appliquant aux austérités qu'elles réclament. La révélatión faite à l' Occident de la vie cénobitique de l' Orient, par la Vie de saint Antoine et le voyage de saint Athanase à Rome et à Trèves, donna un corps à ces aspirations. Très vite l' ascétisme précisa son programme et le mit en pratique... Ainsi donc, au moment où le conflit devenait aigu en Espagne entre Ithace et Priscillien, c' était en réalité l' ascetisme et le relâchement, ou, plus à fond encore, la vie monastique et la vie clericale avec leur mesure d' obligations respectives qui se trouvaient en présence. Au hableur et glouton Ithace s' opposait le silencieux et austère Priscillien. Etant donné l' état de l' opinion publique, Piscillien devait réussir. Le peuple ne conçoit pas le clergé sous forme d' une hiérarchie jouisseuse et repue; celui qui l' attaquera par ce côté aura toujours raison,...

Pacatus (Rethoric., Paneg. 29.) a touché le fond de l' affaire crimine-

M. E. Babut defendit Priscillianum non fuisse haereticum, sed solummodo ascesis et monachismi propagatorem; ejusque cum episcopis conflictum fuisse unum ex multis, quos ascetae et monachi contra episcopos mundanos sustinuerunt. [1].

Juxta hos scriptores, Priscillianismus fuit protestatio quaedam contra effrenatos mores clericorum, ideoque etiam contra eorum incontinentiam. Tamen opinor hos auctores nimium honoris Priscilliano tribuere, dum eum ducem et patronum ascetismi faciunt. Neque Priscillianus, neque ejus asseclae fuerunt vere monachi, neque simplices monachismi propagatores, alioquin non extitissent omnes, non solum clerici, sed etiam ipsi monachi, contra Priscillianum doctrinasque ipsius. Neque Severus Sulpicius, neque S. Martinus, neque S. Hieronymus, neque S. Ambrosius ejus admisere orthodoxiam. Ex alia etiam parte temerarium est, imo et absurdum, praesentare Episcopos Idacium et Ithacium velut exemplaria et duces clericorum omnium.

Difficillimum est determinare et invenire veritatem in hac obscurissima Priscillianismi quaestione; et praesertim quomodo se gesserit Priscillianismus erga clericos relaxatos; imo audeo dicere solutionem harum quaestionum esse imposibilem, dum non inveniantur alia documenta, quae majus lumen super Priscillianum afferant. His non obstantibus, mihi videtur sequentia certe et absque dubio affirmari posse:

a) Priscillianus sustinuit opiniones fidei contrarias. Ita sentiunt hodie omnes scriptores, qui absque praejudiciis Priscillianismi studiis vacant.

b) Priscillianus igitur non fuit simplex introductor et propagator ascetismi, ejusque labores et desideria non tendebant simpliciter ad correctionem clericorum relaxatorum. Tali enim

---

lle lorsque, quelque adresse qu' on eût mise à donner le change sur les causes de la poursuite, il tient pour assuré que l' accusation portait, relativement à Euchrotia sur un excès de religion, trop de zèle dans le culte qu' elle rendait a la Divinité; nimia religio et diligentius culta Divinitas. C'était, à proprement parler, le crime d' ascétisme.»

D. Leclercq in praecedentibus verbis non asserit, ut patet, Priscillianum non fuisse haereticum. E contrario in eodem opere ipse se aperte contra orthodoxiam Priscilliani pronuntiat. In praedictis verbis declarat tantum de causa persecutionum et mortis Priscilliani.

1. Cf. M. E. Babut, Priscillien et le Priscillianisme, Paris, 1909.

casu neque Severum Sulpicium, neque S. Martinum, neque S. Ambrosium, neque S. Siricium, adversarios habuisset.

c) Priscillianus sive ex indole propria, sive quia suam haeresim tegere volebat, fuit homo austerus et mortificationi deditus; e contrario non pauci clerici relaxationi indulgebant. Sic explicatur, quare plebs partes Priscilliani tenuerit.

d) Doctrinae et modus agendi Priscilliani omnibus episcopis fere, sive piis et bonis sive relaxatis, displicebant, ejusque austeritates et secreta conventicula suspecta erant.

e) Episcopi qui licentiorem ducebant vitam, totis viribus Priscillianum impugnarunt, eumque persecuti fuere. Nullo ergo modo potest dici Priscillianum fuisse victimam factionis clericorum; dicendum est eum persecutionem subiisse ab aliquibus clericis relaxatis, qui certe minorem constituebant partem.

f) Priscillianismus fuit quaedam apparens protestatio contra vitam effrenatam clericorum et consequenter contra incontinentiam istorum. Notatu dignum est hoc factum, scilicet Himerium, qui neque monachus erat, neque ut amicum, aut adversarium Priscillianismi aperte se monstravit, prae caeteris reformationi et coelibatus introductioni dedisse operam.

g) Probabile est Priscilliani errores circa conjugia indirecte incontinentiae aliquorum clericorum favisse. Scimus enim fuisse clericos, qui legem coelibatus ignorabant. Hujus autem ignorantiae occasio potuerunt esse discussiones et propugnationes, Priscillianistarum occasione ortae.

Fatendum itaque est Priscillianum etsi austerum et mortificationi deditum, neque monachum verum, neque monachorum et reformationis ducem et patronum fuisse; et Ithacium quamvis improbum, nullo modo ut ducem et exemplar caeterorum clericorum habendum esse.

En paucis verbis ante oculos proposita connexio, quae inter Priscillianismum et relaxationem clericorum exstitit.

Videamus nunc quae fuerint vicissitudines coelibatus in aliis Ecclesiae regionibus.

III.

Coelibatus clericorum in aliis Ecclesiae partibus.

Sors et historia introductionis coelibatus atque vicissitudinum ejusdem in Hispania per totum saeculum quartum, nobis revelatae sunt et elucidatae; justum igitur et consentaneum est aliqua addere, et historiam coelibatus in aliis Ecclesiae partibus paucis contexere verbis, ut notitia clarior completiorque appareat.

In Occidente jam ab initio saeculi quarti coelibatus ecclesiasticus generaliter observabatur, atque paulatim consuetudo obligatoria facta fuit. Hic progressus circa annos 300-324 accidit. Praedicta obligatio non fuit lege aliqua introducta, sed consuetudine. Probabilissimum est exemplum Concilii Illiberitani et clericorum Hispaniae, ad hanc consuetudinem obligantem et firmam reddendam, contulisse.

Haec opinio eruitur ex assertionibus testimoniisque scriptorum saeculi quarti. Re quidem vera scriptores, episcopi et clerici finis saeculi quarti opinabantur clericos majores teneri ad continentiam perpetuam, atque ignorabant clericos praecedentis aetatis filios habuisse; imo non pauci scriptores existimabant legem coelibatus pro clericis majoribus ab Apostolis fuisse inductam. Factum hoc, quod extra dubium est, et statim demonstrabitur, probat eos semper cognovisse coelibatum ut aliquid clericis praedictis necessarium, et non tantum liberum et voluntarie observatum.

Videamus qualis sit mens qualisque opinio praedictorum scriptorum finis saeculi quarti.

S. Hieronymus in lib. I *Adversus Jovinianum*, cap. 34; ait: «Non enim dicit (Apostolus), eligatur episcopus, qui unam »ducat uxorem et filios in omni subditos disciplina. Certe con»fiteris non posse esse episcopum, qui in episcopatu filios fa»ciat. Alioquin si deprehensus fuerit, non quasi vir tenebitur,

»sed quasi adulter damnabitur. [1]» Eandem assertionem exprimit in *Epistola XCVIII ad Pommachium (Apologia pro libris adversus Jovinianum)* cap. 21; «Episcopi, presbyteri et »diaconi, aut virgines eliguntur, aut vidui; aut certe post sa»cerdotium in aeternum pudici [2].» Et denique *Adversus Vigilantium*, cap. 2: «Quid facient Orientis Ecclesiae; quid »Egipti et Sedis apostolicae; quae aut virgines clericos acci»piunt, aut continentes; aut, si uxores habuerint, mariti esse »desistunt [3].»

Mens S. Hieronymi clara et aperta est. E. Vacandard jure affirmare potest S. Hieronymum non esse testem existentiae alicujus legis apostolicae super coelibatum [4], nullo tamen modo asserere potest S. Doctorem loqui tantummodo de quadam consuetudine generaliter quidem, sed libere observata. S. Hieronymus testificatur suo tempore clericos majores ad perpetuam continentiam teneri.

S. Ambrosius concordat cum S. Hieronymo, alloquens ministros Ecclesiae in libro *De officiis ministrorum* circiter anno 386 composito, cap. L: «Inoffensum exhibendum et immaculatum ministerium; nec ullo conjugali coitu violandum cognoscitis [5].»

Verum est S. Siricium primum fuisse summum pontificem, qui legem universalem circa coelibatum dedit, sed aeque verum est ipsum ignorasse se primum fuisse. Non enim vult imponere novam legem, vult solummodo eam in memoriam revocare, atque supponit coelibatum ab ipsis Apostolis impositum fuisse. Hoc manifeste apparet in *Epistola ad Himerium* jam citata, et in *Epistola ad Episcopos Africae*, in qua priusquam coelibatus observantiam inculcet aliasque regulas det, affirmat: «non quae nova praecepta aliqua imperem, sed qui»bus ea quae per ignaviam desidiamque aliquorum neglecta »sunt, observari cupiamus, quae tamen apostolica et Patrum

1. Migne, P. L., v. XXIII, col. 257.
2. Migne, P. L., v. XXII, col 510.
3. Migne, P. L., v. XXIII, col. 48.
4. Cf. Vacandard, op. cit., v. cit., p. 85.
5. Migne, P. L., v. XVI, col. 98.

»constitutione sunt constituta [1].» E. Vacandard ad destruendam vim hujus argumenti, ait: «nulla est ratio, cur praedicta verba de praescriptione coelibatus peculiariter intelligantur; inveniuntur enim in capite et principio novem aliarum praescriptionum ab ipso factarum [2].» Sed pace tanti auctoris dicam: S. Siricium affirmare praedicta verba de omnibus praescriptionibus et regulis, quapropter novem illas regulas ab Apostolis esse institutas, asserere, ut legenti patet; nullam ergo habemus rationem restringendi praedicta verba ad unam praescriptionum vel regularum cum exclusione aliarum, neque extendendi ad omnes, una tamen earum, nempe regula coelibatus, excepta. S. Siricius de omnibus illis regulis loquitur; secundum suam igitur mentem asserendum esse puto, has novem regulas seu praescriptiones ab Apostolis esse datas. Animadvertendum tamen me hic de mente seu opinione S. Siricii tantum agere, quin de veritate ejus affirmationis judicium ferre intendam.

Praeterea supradictus auctor addit: «si summus Pontifex »cognovisset aliquam legem circa coelibatum, certe eam in memoriam Himerii Episcopi Tarraconensis revocavisset [3].»

Certum est S. Siricium ad Episcopum Hispanum scribentem, non afferre verbotenus aliquem locum Epistolarum Apostolorum, in quo coelibatus lex contineatur; sed tamen clare affirmat coelibatus obligationem ab Apostolis, imo a Salvatore fuisse institutam; ait enim: «Quarum sanctionum (Salvato»ris et S. Pauli) sacerdotes atque levitae insolubili lege con»stringimur, ut a die ordinationis nostrae, sobrietati et pudici»tiae et corda nostra mancipemur et corpora [4].»

Insuper in ipsa *Epistola ad Episcopos Africae*, et quidem de coelibatu disserens, ejus obligationem probare intendit verbis S. Pauli (in Epist. ad Cor. VII, 5) [5].

Haec igitur opinio, nempe coelibatum esse ab Apostolis

1. Cf. S. Siricium, Epist. ad Episcopos Africae; Migne, P. L., v. XIII, col. 1155.
2. Cf. Vacandard, op. cit., p. 90.
3. Cf. E. Vac., ibidem.
4. Cf. S. Siricium, Epist. ad Himerium; Migne, v. XIII, col, 1138.
5. Cf. S. Siricium, Epist. ad Episcopos Africae, cap. XIII, 3; Migne, P. L., v. XIII, col. 1160.

praescriptum, erat communis circa finem saeculi quarti. Ita Epigonus Episcopus Bullae-Regiae, vel juxta, alios codices, Genethlius Episcopus Carthaginensis, disserens de coelibatu ecclesiastico in Concilio Cathaginensi (390), proclamat: «ut quod Apostoli docuerunt et tota servavit antiquitas, nos quoque custodiamus» [1]. Concilium certe non utitur his verbis, sed nec aliquo modo contradicit.

Ejusdem opinionis est auctor *Comment. in Epist. S. Pauli*, quae S. Ambrosio erronee tribuebantur. In *Comment. in Epist. I ad Tim.*, (III, 12-13), «Diaconi sint unius uxoris viri, .. scribit: «poterunt digni fieri sacerdotio, et fiduciam habere apud »Deum, ut sciant se posse impetrare quod postulant, jam de »caetero ab usu faeminae cohibentes...» Deinde prosequitur auctor, et indicat quam ab causam sacerdotes veteris Testamenti poterant filios generare, nempe quia multi erant et raro ante conspectum Domini ministrari debebant. «In novo au»tem Testamento non conceditur clericis hoc jus, quia fere »quotidie sacramenta contrectare debent in Ecclesiis [2].» Bene notandum est opus intra annos 366-384 fuisse compositum.

Denique auctor *Quaestionum veteris et novi Testamenti*, quaest. 27, defendens licitum esse matrimonii usum, sibi ipsi objicit; si bonus est hic usus quare clericis prohibitus est, et respondet: «quod uni licet, non licet omnibus [3]». Quamvis non affirmet coelibatus obligationem fuisse ab Apostolis impositam, tamen clare patet hoc praeceptum praesupponi et communiter observatum fuisse.

Ii omnes scriptores vitam egerunt atque opera scripserunt, saeculo quarto mediante, aut ad finem currente Compertum exploratumque habetur eos consuetudinem contrariam, scilicet admittendi ad sacros ordines etiam eos, qui matrimonio uti vellent, non cognovise. In memoriam enim revocandum est supradictos scriptores agere de consuetudine non noviter introducta, sed ab omnibus admissa, et, juxta nonnullos, ab ipsis Apostolis imposita [4]. Hoc factum certum est.

---

1. Cf. Conc. Carthag.; Mansi, v. III, col. 692.
2. Migne, P. L., v. XVII., col. 471.
3. Migne, P. L., v. XXXV, col. 2385.
4. Dictum est jam F. X. Funk et E. Vancardad hanc propugnare sen-

Ex lectione et examine horum scriptorum sequentia asserta deducuntur, quae clare et vere, ut opinor, statum observantiae coelibatus saeculo quarto in Occidente describunt.

a) Initio saeculi non pauci clerici continentiam servabant perpetuam, non quidem *obligatorio modo*, sed *libere*.

b) Post Concilium Illiberitanum et absque dubio ipso impulsante atque movente, apud quasdam Ecclesias mos invaluit non conferendi sacros ordines nisi illis, qui jura conjugii abdicabant. Consequenter clerici hac conditione recepti, *tenebantur ad continentiam*.

c) Multi episcopi in Concilio Nicaeno ad universam Ecclesiam hanc consuetudinem extendere voluerunt. Et non obstante determinatione contraria Concilii, eandem consuetudinem Ecclesiae non paucae tenuerunt.

d) Tamen haec necessaria coelibatus observantia non fuit propagata ad omnes Ecclesias Occidentis. Vigebat praecipue in potioribus civitatibus. Non deerant tamen clerici, qui in oppidis et abditioribus locis atque a civitate remotis, degentes, juribus matrimonii utebantur, et numquam obligationem continentiae receperunt.

e) Saeculo quarto ad finem vertente, et populorum relaxatione grassante, coelibatus observantia retrogressa fuit et numerus incontinentium clericorum crevit.

f) Contra hanc inobservantiam licentiamque S. Siricius suam levavit vocem et insurrexit, invocando ut praeceptum apostolicum illam consuetudinem, quae initio saeculi quarti in quibusdam Ecclesiis vigere incoepit, primamque coelibatus legem dedit.

---

tentiam: Coelibatum non fuisse ab Apostolis decretum, sed solummodo in saeculo quarto lege introductum. Ut dixi, ejusdem sum opinionis. His non obstantibus, laudati scriptores, cum testimonia opinionis contrariae exponunt atque examini subjiciunt, videntur non admittere coelibatum, ut consuetudinem obligatoriam, jam saeculo quarto mediante, observatum fuisse. Mea sententia, ipsi errore laborant. S. Siricius etsi primam dedit legem, consuetudinem non introduxit. Nullo modo probare possunt Ecclesiam occidentalem ordines sacros contulisse illis clericis, qui conjugalem non abdicabant vitam. Asserunt testimonia a G. Bickell allata, non concludere apostolicitatem legis coelibatus, imo neque coelibatus obligationem tribus primis Ecclesiae saeculis. A vero autem procul sunt cum affirmant nullam obligationem servandi continentiam fuisse in Ecclesia occidentali usque ad tempora S. Siricii. Haec sententia opponitur dictis et affirmationibus scriptorum ejusdem temporis.

Ecclesia orientalis neque idem fecit iter ac Ecclesia occidentalis, neque istius exempla imitata fuit. Continentia perpetua clericorum non invenit observatores neque defensores et patronos sicut in Occidente. Certum est nullam viguisse coelibatus obligationem in Ecclesia orientali, neque clericos ad perpetuam teneri continentiam ante dimidium saeculii quarti. — Poterant ergo jure et licite matrimonio uti, atque filiorum procreationi operam dare. Propositio haec, quae certissima est, sequentibus nititur fundamentis:

a) Synodus Ancyrana supponit clare et aperte diaconos continentiam non observare, atque matrimonii juribus uti posse. [1]. Huic synodo interfuerunt episcopi Palestinae, Syriae et Asiae minoris. Concludendum ergo est circa annum 314, quo tempore Synodus locum habuit, in iis Ecclesiis nullam coelibatus obligationem exstitisse.

b) S. Cyrillus Hierosolymitanus in *Katechesi XII.* (intra annos 313-348 praedicata), judicat necessarium clericis seu potius episcopis, ad suum ministerium *optime* implendum. [2]. Non ergo eum considerat ut absolute necesarium.

c) Synodus Gangrensis excommunicatione punit omnes illos, qui docebant fideles non debere partem sumere in sacrificiis oblatis a clericis matrimonio junctis. [3].

d) Praesertim quia nullam legem, neque praescriptionem Conciliorum, nullum hujus obligationis vestigium invenimus, quo coelibatus introductionem inferre possimus.

His tamen non obstantibus, continentia perpetua clericorum in magno habebatur honore ejusque observatio magnis commendabatur laudibus. Hoc eruitur ex iis, quae in *Introductione* diximus; idemque testificatur S. Cyrillus citatis verbis: Εἰ γὰρ ὁ τῷ Ἰησοῦ καλῶς ἱερατεύων ἀπέχεται γυναικὸς; »ipse Jesus ex viro et muliere quomodo proditurus esset?» [4]. Nemo non videt, communi voto exspectationique fidelium satisfacere optantes, clericos non paucos continentiae coelibatusque partes suscipere amplectique debuisse, atque grada-

1. Cf. Synodum Ancyranam, Mansi, v, II, col. 517.
2. Migne, P. G., v. XXXVIII, col. 757.
3. Synodum Gangrensem, v. II, col. 1101.
4. Migne, P. G., v. XXXVIII, col. 757.

tim ejus obligationem in aliquas Ecclesias introductam fuisse. Quod valde congruit verbis Eusebii: «Verumtamem eos »qui sacrati sunt, atque in Dei ministerio cultuque occupati, »continere deinceps se ipsos a commercio uxoris decet.« [1]. Pensanda atque ponderanda sunt verba Eusebii; non quidem asserit clericos ad continentiam *lege* teneri, sed solummodo eis maxime decere, atque historia testatur clericos Ecclesiae Edessanae non solum non fuisse aliqua lége ad continentiam astrictos, sed neque episcoporum neque fidelium votis obsecutos fuisse, etiam saeculo quarto mediante. Teste enim G. Bickell, Rabulas Edes. Episc. (435) operam dedit, ad coelibatum in suam Ecclesiam introducendum, et omnibus viribus conatus fuit, ut clerici eum observarent. [2].

Eadem consuetudinum diversitas perseveravit usque ad finem saeculi quarti, obligatio tamen magis magisque affirmata fuit. Hoc videtur consequi ex verbis Epiphanii Episcopi, qui asserit «singulares porro nuptias commendat (Ecclesia), »cum sacerdotalia munera et ornamenta cum iis, qui post unas »nuptias continentiam servaverint, aut in virginitate perstite»rint, communicanda esse velut in quodam exemplari mon»straverit, id quod Apostoli, deinde ecclesiastica sacerdotii »regula, honeste ac religiose decreverunt.» [3].

S. Epiphanius loquitur de consuetudine generali Ecclesiae; atque ait Ecclesiam suadere atque praeferre monogamiam secundis nuptiis, rationemque hanc assignat, nempe Ecclesiam clericos monogamos, qui post primas nuptias continentiam servant, ad sacerdotium tantummodo assumere. Supponit ergo Ecclesiam ad sacerdotium assumere, aut clericos virgines aut post unum matrimonium continentes, et hoc quidem praescriptione apostolica. Manifeste patet scriptorem, praescriptionem S. Pauli (Tim., III, 2,) «Episcopus sit unius uxoris vir» *in mente* habere; et omnino asserendum est, quidquid E. Vacandard in contrarium dicat, S. Epiphanium

1. Migne, P. G., v. XXII, col. 81.
2. Cf. S. Epiphanium, Adv. Haeres. XLVIII., cap. 9; Migne, P. G., v. XLI, col. 868,
3. Cf. E. Vacandard, op. cit., v. I, p. 88,

opinari Apostolos, et ut patet, S. Paulum, in praedictis verbis decrevisse clericos, aut virgines aut post matrimonium continentes esse debere.

Accuratius suam expressit sententiam *Adv. Haeres. LIX* cap. 4: «quin eum insuper, qui adhuc in matrimonio degit ac »liberis dat operam, tametsi unius sit uxoris vir, nequaquam »tamen ad diaconi, presbyteri, episcopi, aut hypodiaconi or»dinem admittit. Sed eum dumtaxat, qui ab unius uxoris con»suetudine sese continuerit, aut ea sit orbatus: quod in illis »locis praecipue fit, ubi severi sunt canones ecclesiastici. At »enim nonnullis adhuc in locis presbyteri, diaconi et hypo»diaconi liberos suscipiunt: respondeo, non illud ex cano»nis auctoritate fieri, sed propter hominum ignaviam..... »Quod autem ad ipsam Ecclesiam attinet, ea, utpote a S. »Spiritu bene ordinata atque constituta, quod decentius est »omnibus in rebus considerans, ei rei studere potissimum »instituit, ut quae divino numini ministeria praestantur, nulla »re, quoad fieri potest, distrahantur, atque spiritalia omnia »officia, quam optima laetissimaque conscientia gerantur» [1].

Ad meum scopum nihil conferre videtur, examen instituere de sensu stricto horum verborum; utrum nempe praedicta verba testificentur existentiam cujusdam legis apostolicae,... in quo sensu sumenda vox Κανόνα etc. Si quis examen et discussionem horum omnium statuere vult, conferat F. X. Funk [2]. Mihi satis est ex verbis S Epiphanii sequentia deducere corollaria. *a*) Consuetudo erat generalis etiam in Oriente non admittendi ad sacros ordines, nisi eos qui continentes erant, aut continentiam in futuro promittere vellent, ideoque juxta consuetudinem generalem clerici non erant liberi quoad continentiam, sed aliquo modo ad eam erant constricti.

b) Non deerant regiones, in quibus clerici majores continentiam non servabant.

c) Ecclesia optabat totisque viribus adlaborabat ut hanc obligationem in omnes regiones introduceret. Quae tria corol-

---

1. Migne, P. G., v. XLI, col. 1024.
2. Cf. F. X. Funk, op. cit., v. I, p. 129-134.

laria clarissime deducuntur et amplissime sufficiunt ad demonstrationem meae assertionis.

Nunc vero illi, qui sententiam S. Epiphanii attente considerat, nec mira nec exaggerata, sed potius statui rei praecise conveniens videbitur exclamatio S. Hieronymi contra Vigilantium: «Quid facient Orientis Ecclesiae.. ; quae aut virgines »clericos accipiunt aut continentes; aut si uxores habuerint, »mariti esse desistunt» [1]. Haec verba S. Hieronymi non excludunt certe in aliquibus singularibus Ecclesiis esse clericos, qui coelibatum non observabant; sed probant, sicut et verba S. Epiphanii jam citata, consuetudinem generalem esse Ecclesiae orientalis, non admittendi ad sacros ordines nisi continentes.

Status et observantia coelibatus in Ecclesiis Aegypti nobis noti non sunt, neque explorati. Nullum enim habemus testimonium saeculo quarto scriptum. Unicum quod possidemus fuit scriptum anno 400. Illud est *Epistola Synessi Cyrenensis*, postea Episcopi Ptolemaidae. Auctor fratri suo declarat se nolle episcopatum accipere, et ratio, quam affert, est procreatio filiorum et commercium conjugale, a quibus se abstinere non vult; atque suis electoribus asserit: «Quare hoc omnibus prae»dico testorque neque me ab uxore prorsus velle separari, »neque adulteri more cum ea occulto consuescere» [2]. Praedicto igitur tempore episcopi Aegypti coelibatus et continentiae legi subdebantur.

Rapide inspeximus atque investigavimns statum et progressu coelibatus in Ecclesiis orientalibus. Testimonia adducta evidenter demonstrant, solummodo saeculo quarto ad finem appropinquante, legem vel obligationem introductam fuisse in multis Ecclesiis, hancque consuetudinem vigere coepisse. Tamen talis obligatio non fuit universalis, neque ab omnibus admissa; et eaedem Ecclesiae, quae eam admiserunt, saeculo quinto incipiente, oblivioni et desuetudini tradiderunt, ut in cap. sequenti videbimus.

Animadvertendum est me loqui de clericis majoribus matri-

---

1. Cf. Adv. Vigilantium, cap. II; Migne, P. L., v. XXIII, col. 341.
2. Migne, P. G., v. LXVI, col. 1485.

monio junctis. Clerici enim, qui minores appellabantur, non servabant perpetuam continentiam, neque ad eam erant obligati. Clerici autem coelibes, seu qui matrimonii vinculo vincti non erant, quando ad sacros accesserunt ordines, alia ratione tenebantur ad coelibatum, atque istorum obligatio antiquior erat. De ea aliqua investigare superfluum non erit.

IV.

Coelibatus eorum clericorum, qui coelibes sacros receperunt ordines.

Admiratione afficimur opera Patrum legentes, atque eorum libros percurrentes, quos de virginitate, de continentia, de clericorum coelibatu scripserunt. Nullam enim episcoporum aut summorum Pontificum legem, nullam Conciliorum praescriptionem coelibatum clericis, qui tempore ordinationis coelibes erant, imponentem habemus; et tamen compertum exploratumque est eos matrimonium contrahere post ordinationem non posse. Omnes hanc obligationem supponunt, nemo tamen affert legem, ex qua ipsa provenit.

Initio saeculi quarti haec obligatio ab omnibus erat admissa et observata. Concilium Illiberitanum prohibet clericos uxores habentes matrimonio uti. Concilium autem similem prohibitionem non imponit clericis, qui uxores non habebant, quia jam prius ad hanc legem tenebantur. Absurdum enim est dicere Concilium continentiam imposuisse clericis uxores habentibus, et eis, qui coelibes erant, licentiam dedisse matrimonium contrahendi atque usum faciendi.

Concilium Ancyranum explicite dataque opera hujusmodi clericos matrimonium contrahere prohibet. Unam tantum exceptionem facit: diaconus, qui ante ordinationem declaravit coram episcopo se velle matrimonium contrahere (et hoc non

obstante episcopus eum ordinavit, poterat uxorem ducere atque suo munere fungi in ecclesia [1].

Concilium Neocaesariense eandem prohibitionem presbyteris imposuit [2].

Siricius, in omnibus litteris de coelibatu agentibus, clericos uxores habentes alloquitur, numquam vero clericos, qui conjugio vincti non erant.

S. Ambrosius, in lib. *De oficiis*, testimonium quoddam nobis praebet, quod ampliorem meretur attentionem meditationemque: «Inoffensum, ait, autem exhibendum et immaculatum »ministerium; nec ullo conjugali coitu violandum cognoscitis, »qui integro corpore, incorrupto pudore, alieni etiam ab ipso »conjugali officio sacri ministerii gratiam recepistis. Quod eo »non praeterii, quia in plerisque abditioribus locis, cum mi»nisterium gererent vel etiam sacerdotium, filios susceperunt, »et tamquam usu veteri defendunt [3]...»

Mens S. Ambrosii clara est: Hoc immaculatum ministerium nullo conjugali congressu violandum est, saltem a vobis, qui alieni a consortio conjugali id recepistis. Quod eo non praeterii, quia in plerisque abditioribus locis clerici uxores habentes, filios susceperunt. Obligatio ergo clericorum uxores non habentium, certior et magis generaliter admissa erat.

S. Hieronymus dum *Advers. Jovinianum* scribit: «episcopi, »presbyteri, diaconi aut virgines, aut vidui eliguntur aut certe »in eternum post sacerdotium pudici;» [4]; atque *Advers. Vigi*»*lantium* quid facient Orientis Ecclesiae... quae aut virgines »clericos accipiunt aut continentes; aut si uxores habuerint, »mariti esse desistunt» [5], eandem supponit consuetudinem, atque pro certo habet tales continentes et virgines post suam ordinationem uxores ducere non posse.

Si coelibatus clericorum uxores non habentium, et eorum qui uxores habebant, eandem originem habuissent, eodem-

---

1. Mansi, v. II, col. 517.
2. Cf. Concil. Neocaes, can. I, Mansi, v. II, col. 557.
3. Cf. S. Ambros. «De officiis», cap. L; Migne, P. L., v. XVI, col. 98.
4. Cf. S. Hieronym; Epist. ad Pommachium, Migne, P. L., v. XXII, col. 510.
5. Migne, P. L., v. XXIII, col. 340.

que tempore exorti fuissent; certe etiam clerici coelibes sua jura propugnare pertentassent, sicut et clerici uxores habentes pertentarunt. Certum igitur est legem coelibatus clericorum hujusmodi antiquiorem esse legi coelibatum clericis matrimonii junctis imponenti; quo tempore autem ortum habuit, nescimus. Ea fuit ante saeculum quartum introducta. Probabilissimum judico eam esse in primis Ecclesiae temporibus introductam generali consuetudine; et quidem virtute et ratione verborum S. Pauli ad Corint. I c. VII, 32-35. «Volo autem vos sine »sollicitudine esse. Qui sine uxore est, sollicitus est quae »Domini sunt, quomodo placeat Deo. Qui autem cum uxore »est, sollicitus est quae sunt mundi»... sicut alia «nolite frau»dare invicem»... coelibatui clericorum uxores habentium occasionem dederunt.

Credendum non est omnes hos clericos coelibes pios et bonos fuisse, nullumque eorum matrimonium attentare voluisse. Patres, verum est, non levavere voces suas contra clericos matrimonium post ordinationem contrahentes, levarunt tamen frequenter contra clericos cum faeminis cohabitantes. Hujus autem criminis rei fuerunt praesertim ii, qui uxores non habebant.

V.

Jovinianus et Vigilantius.

Ut quaestio de coelibatu ecclesiastico perfecte dilucidetur, necesse est aliquid dicere de duobus haereticis, qui ejus introductioni maxime obstiterunt, aut saltem taliter habiti fuere, de Joviniano nempe et Vigilantio.

Jovinianus in sua juventute vitam monachalem amplexus fuit, quam postea non solum dereliquit, sed et verbis et scriptis impugnavit. Summus Pontifex Siricius doctrinam damnavit, et Jovinianum cum suis asseclis Auxentio, Geniali, Germinatore, Felice, Prontino, Martiano, Januario et Ingenioso excomunicavit. S. Siricius litteras misit ad S. Ambrosium, hanc

condemnationem annuntians. S. Ambrosius sententiam S. Siricii renovavit. Haeretici, qui eo tempore Mediolani erant, non fuerunt ab Imperatore recepti, sed e contrario a civitate expulsi. Contra Joviniani doctrinam scripserunt, praeter S. Siricium et S. Ambrosium, S. Hieronymus et S. Augustinus [1].

Praecipua capita erroris Joviniani, ut S. Hieronymus nobis tradit, haec sunt:

a) «Virgines, viduae, et maritatae, quae semel in Christo »lotae sunt, si non discrepent caeteris operibus, ejusdem sunt »meriti.»

b) «Illi qui plena fide in baptismate renati sunt, a diabolo »non possunt subverti.»

c) «Nulla est distantia inter abstinentiam ciborum et eorum perceptione cum gratiarum actione.»

d) «Omnes qui suum baptisma servaverint, unam in coelo habebunt remunerationem [2].»

De eisdem doctrinis accusantur Jovinianus ipsiusque asseclae a S. Siricio in *Epistola ad Episcopum et clerum mediolonensem* [3]. In responsione ad *Epist.* S. Siricii paucis verbis resumunt S. Ambrosius et clerus mediolanensis eadem praecipua capita: «Nec miramur si luporum rabiem grex Domini »perhorruerit, in quibus Christi vocem non recognovit. Agre»stis enim ululatus est nullam virginitatis gratiam, nullum casti»tatis ordinem servare, promiscue omnia velle confundere, di»versorum gradus abrogare meritorum, et paupertatem quam»dam caelestium remunerationum inducere: quasi Christo una »sit palma, quam tribuit: ac non plurimi abundent tituli prae»miorum [4].»

Jovinianus ex iis doctrinae suae capitibus multa deducebat corollaria, inter quae praecipuum erat, negatio virginitatis S. Mariae Virginis, non quidem in conceptione, sed in ipsa generatione Salvatoris. Ita legitur in *Epist.* S. Ambrosii et cle-

1. Cf. Duchesne, «Histoire ancienne de l' Église,» (4.ª edit.), v. II, p. 560-564.
2. Cf. S. Hieronymum, «Adv. Jovinian», lib. I; Migne, P. L. v. XXIII, col. 214.
3. Migne, P. L., v. XVI, col. 1121-1124.
4. Cf. Epist. S. Ambrosii et cleri ad S. Siricium, cap. II; Migne, P. L., v. XVI, col. 1124.

ri mediolanensis ad S. Siricium cap. 4: «quanta dementia fu»nestorum latratuum, ut iidem dicerent Christum ex virgine »non potuisse generari, qui asserunt ex muliere, editis huma»norum pignorum partubus, virgines permanere»... (ratione aequalitatis meritorum, ut patet) et post pauca prosequuntur: «Sed de via perversitatis produntur dicere: Virgo concepit »sed non Virgo generavit. Potuit ergo Virgo concipere, non »potuit Virgo generare; cum semper conceptus praecedat, partus sequatur» [1]. Ut apparet, Jovinianus non negavit Virginitatem Mariae in conceptione Salvatoris, sed eam post partum virginem permansisse. Neque asseruit B. Virginem Mariam post Salvatorem alios filios generavisse, ut communiter dicitur.

Neque absolute potest dici Jovinianum virginitatem directe impugnavisse. Ejus propositio fuit, mulieres nuptas ejusdem esse meriti ac virgines et viduas, si non discrepabant in caeteris operibus; quod idem est ac dicere statum matrimonii aeque perfectum esse ac statum viduitatis et virginitatis. Hoc clare apparet in propositione jam citata, et a S. Hieronymo adducta, et ex ipsis verbis Joviniani: «Non tibi facio virgo in»juriam, elegisti pudicitiam propter praesentem necessitatem, »placuit tibi ut sis sancta corpore et spiritu, ne superbias, »ejusdem Ecclesiae membrum es, cujus et nuptae sunt» [2].

Denique nullo modo impugnavit coelibatum clericorum. Neque S. Ambrosius, neque S. Siricius, neque S. Hieronymus de hac re illum accusant. Neque in descriptione librorum Joviniani a S. Hieronymo facta, neque in ejus citatione, aliquid invenitur contra clericorum coelibatum. Imo S. Hieronymus in praedicto opere cap. 34 ait: «Certe confiteris non posse esse »episcopum qui in episcopatu filios faciat»; et statim arguit: «aut permitte sacerdotibus exercere opera nuptiarum, ut idem »sint virgines quod mariti; aut si sacerdotibus non licet uxo»res tangere, in eo sancti sunt, quia imitantur pudicitiam vir»ginalem» [3].

---

1. Ibidem; Migne, P. L., v. cit., col. 1123.
2. Cf. S. Hieronymun, «Adv. Jovinianum», cap. V; Migne, P. L., v. XXIII, col. 217.
3. Migne, P. L., v. XXIII, col. 257.

Patet igitur Jovinianum non fuisse tam acerrimum adversarium virginitatis et continentiae, ut adhuc hodie habetur. Ipse tantummodo defendit aequalitatem meritorum inter virgines et matrimonio junctos; et hoc, mea sententia, tantummodo velut consequentia alterius propositionis: «omnes, qui suum baptisma servaverint, unam habebunt in regno coelorum remunerationem» [1].

Vigilantius natione Gallus in vico Callaguris prope *Convenarum* urbem, primum vidit lumen.

Presbyter ordinatus ministerii sui munere Barcinonae functus fuit. «Erat homo, teste Gennadio, seductus humana laude, »et praesumens supra vires suas, lingua politus, non sensu »Scripturarum exercitatus» [2]; juxta S. Hieronymum autem, «imperitus et verbis et scientia, et sermone inconditus. [3] Circa annum 404 quoddam opus edidit, blasphemiis et haeresibus plenum. De eo dicit S. Hieronymus: «Riparius et Desiderius presbyteri... miserunt (mihi) libros per Sisinnium, quos »inter crapulas stertens evomuit» [4].

Idem S. Hieronymus nobis servabit praecipua doctrinae capita in hoc opere contentae:

a) Corpora et reliquiae sanctorum non sunt veneranda: «Quid necesse est, te tanto honore, non solum honorare; sed »etiam adorare illud, nescio quid, quod in modico vasculo »transferendo colis?... Quid pulverem linteamine circumdatum, adorando oscularis?» [5].

b) Cerei non sunt accedendi in Ecclesiis. «Prope ritum »gentilium videmus sub praetextu religionis introductum in »Ecclesias, sole adhuc fulgente, moles cereorum accendi, et »ubicumque pulvisculum nescio quod in modico vasculo pre»tioso linteamine circumdatum, osculantes adorant. Magnum »honorem praebent hujusmodi homines beatissimis marty-

---

1. Super Jov., cf. Haller «Jovinianus» in «Texte und Untersuchungen», v. XVII. (1897).
2. Cf. Gennadium, «De Scriptoribus eccles.» cap. XXXV; Migne, P. L., v. LVIII, col. 1078.
3. Cf. Hieronymum, «Contra Vigil,» 3; Migne, P. L., v. XXIII, col. 342.
4. Cf. Hieronymum, ibidem; Migne, ibidem, col. 341.
5. Cf. Hieronymum, ibidem; Migne, ibidem, col. 342.

»bus, quos putant de vilissimis cereolis illustrandos, quos »Agnus, qui est in medio throni, cum omni fulgore majestatis suae illustret.» [1].

c) «Vel in sinu Abrahae, vel in loco refrigerii, vel subter »aram Dei animae Apostolorum et martyrum considunt, nec »possunt de suis tumulis, et ubi voluerint adesse praesentes... »Ergo cineres suos amant animae martyrum, et circumvolant »eos, semperque praesentes sunt; ne forte si aliquis precator »advenerit, absentes audire non possint.» [2].

d) «Vigiliae et pernoctationes in Basilicis non sunt celebrandae.» [3].

e) «Dum vivimus mutuo pro nobis orare possumus; post»quam autem mortui fuerimus, nullius est pro alio exaudienda »oratio: praesertim cum martyres ultionem sui sanguinis obse»crantes, impetrare non quiverint.» [4].

f) «Miracula a fidelibus non sunt credenda. Miracula quae »in Basilicis fiunt, non prosunt credentibus, sed incredulis» [5].

g) Eleemosynae non sunt mittendae Hierosolymis [6].

h) Homines non debent vitam amplecti monachalem; «Si »enim omnes se clauserint, et fuerint in solitudine, quis cele»brabit ecclesias? quis saeculares homines lucrifaciet? quis »peccantes ad virtutes poterit cohortari?» [7].

Haec sunt praecipua Vigilantii doctrinae capita a S. Hieronymo descripta et conservata. Ut patet, in suis libris coelibatum vel continentiam non impugnabat. Saltem S. Hieronymus hunc errorem nobis non offert ut in illis contentum. Tamen compertum exploratumque est eum suis praedicationibus et sermonibus continentiam impugnavisse.

S. Hieronymus initio sui libri *Contra Vigilantium*, priusquam Vigilantii libros describat et examini atque contemptui

---

1. Migne, v. cit., col. 342-343.
2. Cf. S. Hieronym., op. cit., cap. VI; Migne, v. cit., col. 344-347.
3. Cf. S. Hieronym., op. cit., cap. IX; Migne, v. cit., col. 348.
4. Cf. S. Hieronym., op. cit., cop. VI; Migne, v. cit., col. 344.
5. Cf. S. Hieronym., op. cit., cap. X; Migne, v. cit., col. 348.
6. Cf. S. Hieronym., op. cit., cap. XIII; Migne, v. cit., col. 347-350. Ex verbis S. Hieronymi infertur fideles consuetudinem habuisse illo tempore mittendi eleemosynas Hierosolymis ad ecclesiae et monachorum inopiam sublevandam.
7. Cf. S. Hieronym., op. cit., cap.XV; Migne, v. cit., col. 351-352.

subjiciat, ait cap. 2: «Proh nefas episcopos sui sceleris dici»tur habere consortes, si tamen episcopi nominandi sunt, qui »non ordinant diaconos, nisi prius uxores duxerint: nulli coeli»bi credentes pudicitiam; imo ostendentes quam sancte vi»vant, qui male de omnibus suspicantur; et nisi praegnan»tes uxores viderint clericorum, infantesque de ulnis matrum »vagientes, Christi sacramenta non tribuant;» [1] et fine ejus»dem libri, cap 332»: et sociis illius immo discipulis vel magis»tris, qui nisi tumentes uteros viderint feminarum, maritos »earum Christi ministerio arbitrantur indignos.» [2].

Notandum est Vigilantium complices habuisse sui erroris, et in memoriam revocandum factionem clericorum continentiam impugnatium viguisse tempore Vigilantii et in eadem regione, in qua ipse vitam degebat.

Probabilissimum mihi videtur haeresim Vigilantii proprie esse doctrinam in suo opere contentam; continentiam autem et coelibatum impugnasse, quatenus illius factionis membrum erat, eique adhaerebat.

VI

Rationes quae ab introductoribus coelibatus afferuntur, ad ejus obligationem propugnandam.

Unanimis et concors mens omnium fere populorum tempore Domini nostri Jesu Christi erat virgines, eosque qui vitam conjugalem abdicaverant magis quam alios Divinitati placere aptioresque esse ad ipsam exorandam serviendamque. Jesus Christus suo, Apostolorumque et beatorum in coelis regnan, tium exemplo, suisque verbis virginitatem et continentiam commendavit. S. Paulus mentem Ecclesiae nascentis aperuit,

1. Cf. S. Hieronym., op. cit.; Migne, v. cit., col, 340-341.
2. Cf. S. Hieronym., op. cit.; Migne, v. cit., col. 352.

dicens in I Corinth. VII, 5: μὴ ἀποστερεῖτε ἀλλήλους, εἰ μήτι ἂν ἐκ συμφώνου πρὸς καιρὸν ἵνα σχολάσητε τῇ προσευχῇ et vers. 32: θέλω θὲ ὑμᾶς ἀμερίμνους εἶναι. ὁ ἄγαμος μεριμνᾷ τὰ τοῦ κυρίου, πῶς ἀρέσῃ τῷ κυρίῳ, ὁ δέ γαμήσας μεριμνᾷ τὰ τοῦ κόσμου, πῶς ἀρέσῃ τῇ γυναικί, καὶ μεμέρισται. καὶ ἡ γυνὴ ἡ ἄγαμος καὶ ἡ παρθένος μεριμνᾷ τὰ τοῦ κυρίου, ἵνα ᾖ ἁγία καὶ τῷ σώματι καὶ τῷ πνεύματι, ἡ δέ γαμήσασα μεριμνᾷ τὰ τοῦ κόσμου πῶς ἀρέσῃ τῷ ἀνδρί.

Jam ex Ecclesiae primordiis virgines et continentes se Deo dicavere atque orationi mancipati fuerunt; et ut corollarium verborum S. Pauli, laici, ideoque etiam clerici, tenebantur aliquo modo ad continentiam, scilicet priusquam ad sanctam Communionem accederent, et publicae orationi interfuerint. Haec omnia *Introductione* hujus opusculi aperta et demonstrata fuere.

Memorata igitur verba S. Pauli et haec repugnantia et oppositio inter usum motrimonii et servitium divinum fuerunt origo coelibatus, et ansam dederunt, ad eum clericis majoribus imponendum; adeo ut plurimi fuissent Patres, ut S. Siricius, S. Innocentius, S. Epiphanius, et alii, qui opinati sunt ipsum Apostolum Paulum praedictis verbis perpetuam continentiam clericis praescripsisse.

En evolutio coelibatus· Cessantibus persecutionibus, adeo officia et ministeria clericorum in Ecclesiis aucta et multiplicata fuerunt, ut S. Siricius in fine saeculi quarti dicere potuisset episcopis Africae: «sacerdotes et levitae ministerii »quotidiani necessitatibus occupantur» [1]. Consequens ergo erat et logicum clericos quotidianam continentiam observare debere, cessantibus persecutionibus et ministerio ecclesiastico fere quotidiano facto.

Videamus nunc quomodo verba S. Pauli jam citata, et mens primaevae Ecclesiae circa coelibatum et usum matrimonii verbis S. Pauli exorta, fuerunt unica fundamenta, quibus Patres innituntur ad coelibatus obligationem propugnandam. In eis adducendis omnes sunt unanimes tam primi ejus

---

1. Cf. S. Siricium, Epist. ad Episc. Africae, cap. VIII, 3; Migne, P. L., v. VIII, col. 1160.

introductores, scilicet Patres initii saeculi quarti, quam primi reformatores, Patres scilicet finis ejusdem saeculi.

Unicum testimonium Patrum et episcoporum initii saeculi quarti, est can. XXXIII Concilii Illiberitani. Hic vero canon, etsi brevissimus sit, aliquo modo videtur meam confirmare opinionem. Canon enim sonat: «Placuit in totum prohibere... [1]; vox autem *in totum* videtur mihi nullum sensum habere aut saltem non clarum, si non opponatur ad vocem *in partem*, sicut si diceret: Placuit *in totum*, non tantum *in partem* seu *quibusdam diebus*, praecipere, ut episcopi presbyteri et diaconi se abstineant a suis uxoribus. Praeterea canon sequitur; «vel omnibus clericis positis in ministerio». Dicimus haec verba esse explicationem, ideoque sensum esse: praecipitur non omnibus clericis, sed illis, qui in ministeterio occupantur, ideoque neque suspensis, neque ad laicorum conditionem redactis, etc.; ratio ergo praecepti est, non decere usum matrimonii clericis, qui sacramenta contrectare et in Ecclesiis servire debent. In memoria revocare praestat nunc repugnantiam quam Patres primis Ecclesiae saeculis videbant, inter usum matrimonii et immediatam sacramentorum sumptionem. Haec quoad Patres initii saeculi quarti, seu introductores obligationis coelibatus; aperte declaro nullum aliud me habere hujus temporis testimonium.

Post medium saeculum quartum multis in locis Patres indicant, quare clerici ad coelibatum teneantur. Auctor *Commentariorum in Epist. S. Pauli*, quae «Ambrosiaster» nomine circumferuntur, et cujus verba frequenter citata fuere, ita exponit in cap. III *Comment. in Epist. I ad Timotheum* 12-13.... «po»terunt digni (diaconi) fieri sacerdotio, et fiduciam habere »apud Deum; ut sciant se posse impetrare, quod postulant, »jam de caetero se ab usu feminae cohibentes. Veteribus »enim idcirco concessum est levitis aut sacerdotibus uxores »ad usum habere, quia multum temporis otio vacabant a mi»nisterio aut sacerdotio, (multitudo enim erat sacerdotum et

1. «Placuit in totum prohibere episcopis, presbyteris et diaconis, vel omnibus clericis positis in ministerio, abstinere se a conjugibus suis et non generare filios; quicumque vero fecerit a clericatus honore exterminetur.» Mansi, v. II, col. 11.

»magna copia levitarum, et unusquisque certo tempore ser»viebat divinis coeremoniis secundum institutum David (I Par. »VI, 31) Hic enim viginti et quatuor classes constituit sacerdo»tum... Nunc autem septem diaconos esse oportet, et aliquan»tos presbyteros, ut bini sint per Ecclesias, et unus in civitate »episcopus: ac per hoc omnes a conventu feminae abstinere »debere: quia necesse est eos quotidie praesto esse in eccle»sia, nec habere dilationem, ut post conventum legitime pu»rificentur, sicut veteres. Omni enim hebdomada offerendum »est, etiam si non quotidie peregrinis, incolis tamen vel bis »in hebdomada; etsi non desint qui fere quotidie baptizentur »aegri. Nam veteribus ideo concessum est, quia multo tem»pore in templo non videbantur, sed erant privati. Si enim »plebeiis hominis orationibus causa, ad tempus abstinere se »praecipit, ut vacent orationi; quanto magis levitis aut sacer»dotibus, quos die nocteque pro plebe sibi commissa oportet »orare» [1]. Verba, ut apparet, sunt *valde clara* et ratio designata est, primo repugnantia quaedam inter usum matrimonii et contrectationem sacramentorum, et secundo verba S. Pauli in Epistola ad Corinthios.

Eadem ratio designatur ab auctore *Quaestionum veteris et novi Testamenti*, (quae inter opera S. Augustini inveniuntur) qu. 127. Primo respondit ad objectionem; «si »matrimonii usus est bonus, quare sacerdotes et levitae eo »non possunt uti»; et deinde addit: «quia necesse habent quo»tidie Christi vicem agere, aut orare pro populo, aut offerre, »aut tingere» [2].

Non minus clare loquitur S. Hieronymus in lib. I *Adversus Jovinianum* cap, 34. «Si laicus et quicumque fidelis orare »non potest, nisi careat officio conjugali, sacerdoti, cui sem»per pro populo offerenda sunt sacrificia, semper orandum »est, Si semper orandum est, ergo semper carendum matri»monio» [3].

S. Innocentius P. I. ad Exuperium Episcopum Tolosanum

1. Migne, P. L., XVII, col. 471.
2. Migne, P. L., v. XXXV, col. 2.385.
3. Migne, P. L., v. XXIII, col. 257.

scribens, ex eodem fonte obligationem coelibatus deducit, ut patet in cap. I, 2 Epistolae; «quanto magis hi sacerdotes vel »levitae pudicitiam ex die ordinationis suae servare debent, qui»bus vel sacerdotium vel ministerium sine successione est, nec »praeterit dies, qua vel a sacrificiis divinis vel baptismatis offi»cio vacent. Nam si Paulus ad Corinthios scribit, dicens: Ab»stinete vos ad tempus, ut vacetis orationi. (I Corinth. VII, 5) »et hoc utique laicis praecipit; multo magis sacerdotes, qui»bus et orandi et sacrificandi juge officium est, semper debe»bunt ab hujusmodi consortio abstinere; qui, si contaminatus »fuerit carnali concupiscentia, quo pudore vel sacrificare usur»pabit, aut qua conscientia, quove merito exaudiri se cre»dit»? [1].

Claudamus denique seriem testimoniorum Ecclesiae occidentalis verbis S. Siricii in *Epistola ad Episcopos Africae* c. VIII, 3. «Praeterea quod dignum et honestum est suademus, »ut sacerdotes et levitae cum uxoribus suis non coeant, quia »in ministerio ministerii quotidianis necessitatibus occupan»tur. Ad Corinth., (I cap. VII, 5) sic Paulus scribit dicens: Ab»stinete vos, ut vacetis orationi. Si ergo laicis abstinentiam »imperatur, ut possint deprecantes audiri; quanto magis sa»cerdos utique omni momento paratus esse debet, munditiae »puritate securus, ne aut sacrificium offerat, aut baptizare »cogatur? Qui si contaminatus fuerit carnali concupiscentia »quid faciet? excusabit? quo pudore, qua mente usurpabit?» [2].

Haec eadem est mens, eadem opinio scriptorum Ecclesiae orientalis, qui perpetuam continentiam clericis commendant aut propugnant. Notum vobis est jam argumentum, quo S. Cyrillus Hierosolymit. Episcopus usus fuit, ad perpetuam virginitatem s. Virginis Mariae demonstrandam. Ejus *argumentum* erat: sacerdos qui bene suum officium implere vult, debet a consortio conjugali abstinere [3].

Clarius adhuc loquitur S. Epiphanius in libro *Advers. Haereses*. Haeres. enim LIX, cap. III, ait, inculcans continentiam

---

1. Migne, P. L., v. XX, col. 496-498.
2. Migne, P. L., v. XIII, col. 1160-1161.
3. Cf. S. Cyrillum Hierosol. Episc., Katechesis XII, cap. XXV; Migne, P. G., v. XXXIII, col. 757.

clericis: «Hoc igitur dico propter subitas functiones atque »officia convenire, ut presbyter ac diaconus et episcopus »Deo penitus vacet. Nam si illis etiam, qui de populo sunt, id »ipsum Apostolus praecipit, ut, inquit, ad tempus vacent ora»tioni, quanto id magis sacerdoti praescripsit?» [1].

Eusebius Episcopus Caesareae est unicus scriptor, qui talem rationem ad caelibatus observantiam propugnandam non adducit, asserit enim solummodo decere clericos observare coelibatum, ut perfectiora et altiora opera exercere possint. [2].

Magna igitur opinio de virginitatis dignitate, et verba Salvatoris et S. Pauli, quae eam commendarunt, consuetudinem coelibatus in tribus primis Ecclesiae saeculis paulatim introduxerunt, et saeculo IV ad veram obligationem perduxerunt, et arma coelibatus defensoribus praebuerunt.

Ex his omnium SS. Patrum testimoniis alia consectaria deduci posse videntur, scilicet eos, qui a clero ejecti atque depositi erant, sive ob suam incontinentiam, sive ob alia crimina, qui suis officiis ac ministeriis non amplius fungi poterant, qui sacramenta numquam contrectare debebant, non fuisse perpetuae continentiae subjectos. Haec est mea sententia, sed tamen quia quaestio difficilis est, et non omnes scriptores hodierni ejusdem sunt opinionis, de ea in peculiari paragrapho agam.

VII.

Clerici depositi, seu a clero ejecti non tenebantur ad continentiam perpetuam.

G. Bickell hanc meam assertionem erroneam judicat variisque impugnat argumentis. Ipse opinatur clericos majores a suo officio depositos, obligatos fuisse ad perpetuam conti-

1. Migne, P. G., v. XLI, col. 1.024.
2. Cf. Euseb. «Demonst. evang.», lib. I, cap. IX; Migne, P. G., v. XXII, col. 81.

nentiam servandam. En argumenta historica, quibus veritatem suae propositionis demonstrare putat. [1].

a) Verba Concilii Carthaginensis II, can. II: «Cum in »praeterito Concilio de continentiae et castitatis moderami- »ne tractaretur, gradus isti tres, qui constrictione quadam »castitatis, per consecrationes annexi sunt.» [2]. Ex his verbis concludit scriptor obligationem coelibatus fuisse ipsi consecrationi annexam, ideoque consecratos semper, etsi depositi fuerint, ad coelibatum esse obligatos. [3].

b) S. Siricius ad Himerium scribit: «Quarum sanctio- »num sacerdotes atque levitae insolubile lege constringimur, »ut a die ordinationis nostrae sobrietati ac pudicitiae et corda »nostra mancipemus et corpora» [4].

c) Praescriptiones quaedam ex Conciliis Toletanis saeculo sexto et septimo congregatis, jubentes, ut clerici qui carnaliter uxoribus jungebantur, in monasteriis inclusi fuissent. [5].

Argumentum ex verbis Concilii Carthaginensis desumptum nullam vim, nullumque robur habet. Ut Concilii mens clarior appareat, ipsum canonem integrum afferam. «Cum in praete- »rito Concilio de continentiae et castitatis moderamine tracta- »retur, gradus isti tres, qui constrictione quadam castitatis, »per consecrationes annexi sunt, episcopos, inquam, presby- »teros et diaconos, ita placuit ut condecet sacrosanctos anti- »stites et Dei sacerdotes, nec non et levitas, vel qui sacramen- »tis divinis inserviunt, continentes esse in omnibus... Ab »universis episcopis dictum est: omnibus placet, ut episcopi, »presbyteri et diaconi, vel qui sacramenta contrectant etiam »ab uxoribus se abstineant» [6].

Re quidem vera Concilium non definit, an clericus depositus maneat semper consecratus, et an consecrationi huic obligatio

---

1. Cf. G. Bickell, op. cit., v. II, p. 62 63.
2. Cf Concilium Carthag. II, can II; Mansi, v. III, col. 692.
3. Cf. G. Bickell, ibidem.
4. Cf. S. Siricium, Epist. ad Himerium, cap. VII, Migne., P, L., v. XIII, col. 1138.
5. Cf. G. Bickell, ibidem.
6. Cf. Concilium Carthag. II, can. II; Mansi, v. III, col. 692.

coelibatus semper et necessario adhaereat. Eodem vitio laborat argumentum ex verbis S. Siricii desumptum.

Denique praescriptiones Conciliorum Tolet. domonstrant clericos ejectos, aut depositione punitos, non potuisse vitam prosequi conjugalem tempore ipsorum Conciliorum, id est, saeculo septimo mediante, non vero probant eamdem viguisse consuetudinem saeculo quarto, id est, tribus retro saeculis.

Sententia dicens asserensque fuisse licitum clericis ob infractionem continentiae ejectis, post eorum ejectionem conjugii juribus uti, mihi magis arridet. En argumenta quibus meus nititur assensus.

a) Sola et unica ratio, quare Patres coelibatum introducere conantur, fuit munditia et puritas, quibus sacramenta contrectantes et deservientes ornari debebant.

b) Concilium Illiberitanum imponit coelibatum solummodo clericis, qui erant in ministerio; «vel omnibus, ait, clericis positis in ministerio». Illi autem qui a statu clericali ejecti fuerant, ut patet, non erant amplius in ministerio [1]. Hunc fuisse sensum verborum «vel omnibus clericis positis in ministerio», hanc esse episcoporum mentem patet ex can. XIX ejusdem Concilii, ubi Patres eisdem utuntur verbis: episcopi, presbyteri et diaconi, *si in ministerio positi*, detecti fuerint quod sint moechati; placuit et propter scandalum et propter profanum crimen, neque in fine eos communionem accipere debere [2]. Concilium Carthaginense II imposuit continentiam contrectantibus sacramenta [3].

c) Punitio erat non quidem suspensio, ut dicit G. Bickell[4]; erat vera depositio et exterminatio a clero, punitus redibat ad simplicem laicorum conditionem.

d) Oblivioni tradi non debet, legem coelibatus inveniri in exordiis et incunabulis, eamque praescribere continentiam clericis majoribus, qui suis fungebantur officiis, et ita interpretatam atque applicatam fuisse. Certum habeo mentem episcoporum Concilii Illiberitani non fuisse coelibatum et perpe-

---

1. Cf. Concilium Illiber., can. XXXIII; Mansi, v. II, col. 10.
2. Cf. Ibidem, can. XIX; Mansi, v. II, col. 9.
3. Cf. Concilium Carthag., loc. cit.
4. Cf. G. Bickell, op. cit., v. II, p. 63.

tuam continentiam praescribere clericis, qui ob alia crimina tempore Concilii depositi erant, atque a clero exterminati, si tales clerici existebant reapse.

Denique mea opinio magis roboratur firmaturque, consideratis collatisque diversis poenis, quibus clerici et monachi incontinentes subjiciuntur. Unica sanctio contra clericos incontinentiae reos decreta est depositio. «Quicumque vero fecerit ab honore clericatus exterminetur», ait Concilium Illiberitanum; S. Siricius autem in *Epist. ad Himerium* «ii vero »qui illiciti privilegii excusatione nituntur...; noverint se ab »omni ecclesiastico honore, quo indigne usi sunt, apostolicae »Sedis auctoritate dejectos, nec umquam posse veneranda »attrectare mysteria, quibus se ipsis, dum obscenis cupiditatibus inhiant, privaverunt» [1].

Patres ergo non praecipiunt ut clerici incontinentes a suis uxoribus separentur, aut ab eis se abstineant, ut praecipiunt monachis et sanctimonialibus. Idem Concilium Illiberitanum punit excommunicatione virgines Deo sacratas, virginitatis votum frangentes; poterant ipsae in fine vitae ad communionem recipi, sed sub hac conditione, si «poenituerint et denuo ad continentiam redierint» [2].

S. Siricius durius scribit: «Praeterea monachorum quos»dam atque monacharum, abjecto proposito sanctitatis, in »tantam protestaris demersos esse lasciviam, ut prius clancu»lo, velut sub monasteriorum praetextu, illicita ac sacrilega se »contagione miscuerint; postea vero in abruptum conscien»tiae desperatione perducti, de illicitis complexibus libere fi»lios procrearunt. Has ergo impudicas detestabilesque perso»nas a monasteriorum coetu, ecclesiarumque conventibus eli»minandas esse mandamus: quatenus retrusae in suis erga»tulis, tantum facinus quotidiana lamentatione deflentes, puri»ficatorio possint paenitudinis igne decoquere» [3].

Monachis ergo et sanctimonialibus non erat licitum neque concessum ad saeculum, cui terga verterunt, redire, matrimo-

---

1. Cf. S. Siricium, Epist. ad Him., can. VII.; Migne, P. L., v. XIII, col. 1141.
2. Cf. Concil. Illiber., can., XIII; Mansi v. II, col. 9.
3. Cf. Siricium, op. cit., cap. VI; Migne, P. L., v. XIII, col. 1137.

nium quod abdicaverant, contrahere, suam incontinentiam illicitam ac male notatam, licitam et ratam conjugio facere. Incontinentiae complices erant separati, atque in ergastulis reclusi.

Eadem est mens, eademque opinio omnium scriptorum saeculi quarti. S. Hieronymus sic se exprimit in lib. I. *Adversus Jovinianum* c. 13: «Virgines enim, quae post consecrationem »nupserint, non tam adulterae sunt, quam incestae» [1].

Concilium Tolet. I (400), can. XVI, prohibet sanctimonialem «quae virum duxit ad communionem admittere donec peccare »desierit» [2].

Denique Bachiarius monachus in lib. ad Januarium, *De reparatione lapsi*, c. 18, quemdam alloquitur monachum, qui sanctimonialem seduxerat, et quorumdam consilio nubere statuerat: «Tu autem frater nequaquam scelerato acquiescas »impudicoque conjugio... Quinimmo et illa, quam tibi fecit »sceleris culpa consortem, revertatur ad virum suum;» [3] et cap. 19: Non vult David, hoc est Dominus Christus, ut in »conspectu ejus ab alio viro habeatur uxor ejus» [4].

Sententia Patrum virgines Deo sacratae erant verae Jesu Christi sponsae; atque votorum fractio erat ut adulterium, sacrilegium atque incestum considerata hanc sententiam compertam exploratamque habebit, qui S. Hieronymi, Ambrosii aliorumque opera versat, librosque percurrit.

Jure igitur concludere possumus vereque affirmare alio modo, aliisque poenis punitos fuisse monachos atque clericos incontinentiae indulgentes; clerici a clero ejecti, poterant cum suis uxoribus commercium habere carnale; saltem Patres et concilia eis non prohibent; monachis vero status matrimonii neque licitus, neque concessus erat, ad eumque redire omnino non poterant.

Priusquam huic capiti, in quo de historia coelibatus egimus, id est, quomodo clerici cum suis uxoribus se gere-

---

1. Migne, P. L., v. XXIII, col. 229.
2. Mansi, v. III, col. 1001. Cf. etiam can. XIX ejusdem Concilii; Mansi, ibidem.
3. Migne, P. L., v. XX, col. 1025.
4. Migne, loc. cit., col. 1058.

bant, vidimus; consentaneum est aliam addere paragraphum, ubi quomodo clerici cum aliis feminis se gerere debebant, quaeramus.

VIII.

Cohabitatio clericorum et mulierum. Uxores, consanginae, aliae feminae.

Vidimus jam quanto studio quantoque ardore Patres adlaborarunt ad coelibatum introducendum; ad consuetudinem conjugalem impediendam frenandamque. Credendum non est ipsos Patres alia pericula, quibus praesertim clerici coelibes expositi erant, neglexisse et contempsisse. Hoc periculum erant mulieres cum clericis cohabitantes. Exposito igitur bello a Patribus commercio conjugali indicto, consentaneum est videre et exponere illud, quod cohabitationi clericorum et feminarum indixerunt.

Matres, sorores, filiae clericorum poterant cum istis habitare. Eae ab omnibus conciliis et Patribus excipiuntur, et ut feminae, quae nullam dant suspicionem, habentur considerunturque [1].

Licitum concessumque erat clericorum uxores cum viris commorari. Istarum cohabitatio nulla conciliorum praescriptione prohibita fuit. E contrario, ut postea dicam, talis cohabitatio ab ipsis Patribus fuit rata et praecepta.

Uxores clericorum sortiebantur nomen sororum aut conservarum, cum suis commorabantur viris, a quibus alebantur, curasque agebant domesticas servitiaque gerebant. Jura matrimonii integra manebant, consuetudine carnali excepta. Hanc praxim rationemque vivendi observarunt S. Paulinus a Nola, Salvianus Massiliensis [2], Lucinius Hispanus [3], et deni-

---

1. Cf. Concilium Nicaenum, can. III; Mansi, v II, col. 570; S. Siricium, Epist. ad Himer., cap. XII; Migne, P. L., v. XIII, col. 1144; Carthaginense (Concilium) III (397), can. XVII; Mansi, v. III, col. 883.
2. Cf. Salvianum, Epist. 4; Migne, P. L., v. LIII, col. 162.
3. Cf. S. Hier., Epist. ad Lucinium; Migne, P. L., v. XXII, col. 669.

que major pars clericorum, qui matrimonii vinculis erant ligati.

PseudoHieronymus in *Epistola ad Oceannum* aperte testificatur, nullam existere legem clericis prohibentem cohabitationem cum uxoribus, ait enim cap. 3: «Illud etiam adjiciendum »est, si uxorem duxeris, lex te non prohibet habitare cum »conserva» [1].

Auctor Epistolae *De septem Ordinibus Ecclesiae*, quae nomine S. Hieronymi circumfertur, praecipit quomodo episcopus cum sua uxore se gerere debeat, cap. 6: «Amanda qui»dem uxor est; sed sicut ecclesia aut templum Dei, orandum »cum ea, legendum, abstinendum, communicandum in altario »non in opere: spiritu non carne vivendum. Venerari autem »et te propter conjunctionis legem debet, non desiderare prop»ter consuetudinem delinquendi: quia aperte tibi usum conju»gii interdictum esse perpendis, cum te episcopum esse cog»noscis. Habere et illa ex hoc Christum gaudeat non mari»tum: esse cum Deo, non habitare cum conjuge; possidere in»tra domesticos parietes vernaculam sanctitatem» [2].

Compertum igitur exploratumque est clericis matrimonio junctis, non fuisse prohibitam cohabitationem cum suis uxoribus. Mirum quidem videtur, quod Patres et concilia qui tantum invigilabant, ut omnem occasionem violandi castitatem a clericis removerent, hoc maximum periculum praesertim pro clericis, qui in oppidis soli cum suis uxoribus morabantur, ab eis removere non curarent. Hujus facti causae possunt verisimiliter duae indicari; scilicet necessitas habendi aliquam feminam ad servitia domestica implenda, simulque repugnantia se separandi ab ea quae ejus conjux fuit, et semper conjux manebat; et praesertim dificultates et paupertas, imo et pericu-

---

1. Migne, P. L., v. XXX, col. 289.
2. Migne, P. L., v. XXX, col. 159 Circa auctorem hujus Epistolae, Cf. Bardenhewer, «Patrologie», p. 532. n°. 3. Auctor opusculi. «De singularitate clericorum» concedit etiam cohabitationem cum uxore: «Si quis habet matrem... vel conjugem... sic habeat, ut nulla ancilla intersit neque aliqua ingrediatur extranea, ne ad hoc videatur tenere proximas suas, ut ipsarum causa libere sibi adhibeat alienas». Migne, P. L., v. IV, col. 868. Circa auctorem hujus operis et tempus, in quo scriptum fuit, vide G. Morin, (Revue Bénéd. VIII, 1891, p. 236 et seq.,) et H. Achelis, «Virgines subintroductae», (Ein Beitrag zu I. Kor. VII, p. 35-43).

lum, quibus tales feminae ita a suis viris derelictae, subjectae erant.

Superfluum et inutile judico investigare utrum cognatae vel consanguineae feminae, ut matres, sorores, filiae cum clericis commorari possent. Sufficit enim conciliorum canones legere, ut videamus eos omnes a praescriptionibus cohabitationem mulierum prohibentibus, matrem, sororem et filiam et generaliter omnes consanguineas, quae malam non dant suspicionem, excipere.

E contrario vero magna conciliorum pars praeclarioresque Ecclesiae Patres totis adlaborarunt viribus conatibusque, ut arcerent clericos a consuetudine consortiaque feminarum, praesertim earum quae nomen sortitae erant συνείσακτοι, aut ἀγαπηταὶ; et non tantum clericos, qui episcopatus, presbyteratus vel diaconatus pollebant dignitate, verum etiam eos qui in minoribus adhuc militabant ordinibus. Et nemo non videt quanto jure et merito Patres conciliaque sic agebant; siquidem nomen clericorum, imo ipsius Ecclesiae, summum in periculum vocabatur ex hujuscemodi consortio, atque illi, quibus clericorum coelibatus ita cordi erat, necessario uti debebant magna severitate maximisque poenis ad evitandum, ne clerici ruerent in hoc malum quod a nomine, dignitate et ministerio iporum, magis quam ipse matrimonii usus abhorrebat.

Primum testimonium cohabitationem clericorum et mulierum subintroductarum damnans, desumptum est ex *Epist. S. Cypriani Episcopi Carthaginensis* ad Pomponium, *De virginibus* [1]. Loquitur in ea S. Cyprianus de quodam diacono, qui cum virgine in eadem commorabatur domo, et quibus ipsum etiam lectum commune erat. Factum hoc non fuisse unicum nec singulare consequitur ex eadem Epistola, quin tamen clarum appareat an clerici, an laici fuerint caeteri hujus criminis rei: «Et idcirco, ait cap. IV, consulte et cum vigore

1. Migne, P. L., v. IV, col. 364-373. Propositum meum non est peculiarem instituere quaestionem circa «Mulieres subintroductas». Non pauci scriptores hoc argumentum data opera tractaverunt. Inter alia multa consuli potest opus nuper citatum H. Achelis: «Virgines sobintroductae» Meum solummodo est exponere, quomodo cohabitatio talium personarum ab Ecclesia damnata fuit, caeterasque quaestiones tantum obiter tangam.

»fecisti, abstinendo diaconum, qui cum virgine saepe mansit, »sed et caeteros, qui cum virginibus dormire consueverant».

Ejusdem ferme temporis, scilicet anni 269 est Concilium Antiochenum causa Pauli Samosateni congregatum. In *Epistola synodica ad Dionysium et Maximum* objurgat exprobatque Paulum Episcopum Samosatenum, quod talis cohabitationis reus fuerit: «is (Paulus) qui unam quidem jam dimi»sit, duas vero aetate florentes et forma conspicuas secum ha»bet, et quocumque proficiscitur, circumducit; idque deliciis »diffluens et epulis sese ingurgitans» [2]. Atque alio in loco: «quid hic referre attinet συνεισάκτους, ut Antiocheni vocant, »mulieres tam ipsius, quam presbyterorum ejus ac diacono»rum... Neque illud ignoramus, quot ex hujusmodi mulierum »contubernio, partim in praeceps lapsi sunt, partim in suspi»cionem venerint» [3].

Celeberrimum Concilium Illiberitanum etiam immoratum fuit in hac cohabitatione prohibenda, dignisque plectenda poenis. Ait canone XXVII: «Episcopus vel quilibet alius cle»ricus aut sororem, aut filiam virginem dicatam Deo, secum »habeat, extraneam nequaquam habere placuit» [4].

1. Migne, P. L., v. IV, col. 369.
2. Mansi, v. I, col. 1098.
3. Mansi, ibidem.
4. Mansi, v. II, col. 10. Dom H. Leclercq «L'Espagne chrétienne» p. 70, opinatur Concilium prohibere canone hoc episcopis caeterisque recipere seu retinere suis in domibus quamcumque mulierem, exceptis sorore et filia virginibus Deo dicatis. Ch. J. Hefele hunc canonem exponens, asserit: Concilium permittit clericis, *a*) sororem suam tantum aut filiam domi habere; quae tamen *b*) virgines Deo dicatae esse debent «Conciliengeschichte», v. I, p. 166-167, (ver. gallica v. I, p. 253). Ex istorum scriptorum opinione logice consequitur Concilium interdicere cohabitationem clericorum atque matrum, sororum filiarumque ipsorum, quae suam virginitatem Deo non consecraverant. Haec autem opinio rejicienda est, talis enim prohibitio (quae in verbis Concilii certe non continetur), fuisset contraria legibus et praescriptionibus totius Ecclesiae illius temporis, quae numquam interdixit clericis commorari eos cum suis matribus et sororibus, ut patet in Concilio Nicaeno, can. III. Canon igitur affirmat: neque episcopus neque clerici debent habere secum virginem aliquam dicatam Deo, quae eis extranea sit. Spectat igitur canon virgines Deo dicatas, non vero alias mulieres. Hoc ipsum colligitur ex eo quod Patres et concilia hujus temporis volebant ambiebantque separationem clericorum et quarumdam feminarum quae, praetextu castitatis servandae, in illorum domibus degebant. Tale enim fuit malum, quod serpere coepit.

Eandem prohibitionem iterum iterumque inculcarunt Synodus Ancyrana, (314) can. XIX [1], Concilium Nicaenum (325), can. III [2], Carthaginense I (348), can. III, Carthaginense III (397) can. XVII, Carthaginense IV (398); atque inter Patres scriptoresque ecclesiasticos, Tertullianus, *De exhortatione castitatis*, cap. 12, *De monogamia* cap. 16, *De praescrip. haeret.* cap. 30; S. Cyprianus, *Epist. 4 et 13*, Irenaeus, *Haer, I*, 6, 3; S. Basilius, *Epist. 55*, aliique multi [3].

Ex eo quod testimonia allata sunt desumpta ex omnibus Ecclesiae partibus, deducitur hujuscemodi malum in omnes Ecclesiae partes radices misisse suas, atque ratione istius cohabitationis et consortii clericos non paucos «partim in praeceps lapsos fuisse, partim in suspicionem venisse», atque hoc jam a primis Ecclesiae saeculis; illasque virgines quae Deo erant dicatae et castam ducere vitam gloriabantur, nomine malignitate pleno συνείσακτοι designatas fuisse.

Ad dictorum clariorem intelligentiam comparandam maximum fert juvatque quasdam elucidare quaestiones, tum circa mulierum subintroductarum nomen, tum circa propositum hujus cohabitationis, originem, etc. etc.

Variis nominibus designatae fuerunt feminae, pro quarum separatione a clericis Patres et concilia tanta constantia pugnarunt; παρθένοι συνείσακτοι, aut simpliciter συνείσακτοι, ἀγαπηταὶ, ἀδελφαὶ ἀγαπηταὶ, ab scriptoribus graecis; et «mulieres subintroductae», «mulieres extraneae», «sorores spirituales» «virgines Deo dicatae» a latinis. S. Hieronymus eas vocat «agapetarum pestem» [4]. Communissimum omnium fuit συνείσακτοι ab Antiochenis excogitatum.

Finis vel propositus hujuscemodi consortii et cohabitationis, (saltem quo clerici inobedientes suam agendi rationem exterius tuebantur) erat sese invicem auxilium praestare, ut ipsi aiebant. Mulieris subintroductae erat domorum curam habere, servitiaque peragere domestica, ut colligitur ex su-

---

1. Mansi, v. II, col. 319.
2. Mansi, v. II, col. 669.
3. Caeteros SS. Patres et scriptores citatos invenies apud H. Achelis, op. supracit.
4. Cf. Epist. XXII, 14; P. L., v. XXII, col. 402.

pracitata *Epist.* S. Cypriani; clericorum vero, subintroductarum patrocinium suscipere, et ordinarie inopiam sublevare atque alimenta domumque eis praebere [1], ut asserit S. Joannes Chrysostomus [2]. Has humanae vitae necessitates objiciebant clerici hujus cohabitationis rei, ad suam Patrum conciliorumque praeceptis inobedientiam tegendam honestandamque [3].

Testimonia allata ex Concilio Antiocheno, Tertulliano, S. Cypriano et Irenaeo probant atque demonstrant subintroductarum mulierum pestem jam ab ipsis Ecclesiae primordiis exstitisse; et auctor libri *De singularitate clericorum* supponit fuisse clericos, qui sanguine suo christianam fidem confirmarunt, quique cum similibus virginibus commorati fuere [4]. Ex quo sequitur malam hanc consuetudinem non fuisse effectam productamque occasione introductionis legis coelibatus, ut affirmant quidam coelibatus adversarii; priusquam enim coelibatus vigeret lex, illa longe lateque serpebat.

Mea opinio est subintroductarum origo inveniri in ipsa S. Pauli Epistola ad Timoth, (I, cap. V, 16): «Si quis fidelis »habet viduas, subministret illis, et non gravetur Ecclesia;» atque haec verba hujusmodi consortio ansam dedisse [5].

Mos et consuetudo Ecclesiae fuit jam ab ipsis primordiis viduis virginibusque egestate laborantibus providere atque eleemosynis eis succurrere [6]. Nemo non videt hujusmodi

---

1. Dictum est *ordinarie*; non defuerunt enim virgines Deo dicatae, commodis divitiisque affluentes, quae ipsaemet doctorum Ecclesiae atque clericorum vitae subveniebant.
2. Migne. P. G., v. XXVI, col. 504.
3. Cf. S. J. Chrysostomum, loc. cit.; et S. Cyprianum, loc. cit.
4. «At contra et ipsi dicunt: nonnulli de contemptoribus nostris similes feminas habentes in domibus, martyrium consecuti sunt.
5. H. Achelis asserit de hujusmodi cohabitatione intelligenda esse verba S. Pauli in Epist. I ad Corinth. VII, 46-38: «Si quis autem turpem »se videri existimat super virgine sua, quod sit superadulta et ita opor»tet fieri, quod vult, faciat; non peccat, si nubat. Nam qui statuit in »corde suo firmus, non habens necessitatem, potestatem autem habens »suae voluntatis, et hoc judicavit in corde suo, servare virginem suam, »benefacit. Igitur et qui matrimonio jungit virginem suam, benefacit: et »qui non jungit, melius facit.» (Op, cit. p. 20-29). H. Achelis interpretatio ingenio non caret, nimis tamen arbitraria est, levibusque fulcitur fundamentis. Cf. circa H. Achelis interpretationem H. P. Ladeuze in ephemeride «Revue d' histoire ecclésiastique», 1905, v. VI, p. 68-62.
6. Migne, P. L., v. II, col. 927.

onus summum difficillimumque Ecclesiae humeris fuisse; atque ob hanc rationem non pauci christiani qui facultatibus opibusque gaudebant, recipere illas suis consueverunt domibus, ut supradictum onus levius redderent Ecclesiae. Sic Tertullianus in opere *De exhortatione castitatis* cuidam amico persuadens continentiam, objectionemque solvens mulieres necessarias esse, ad curas domesticas gerendas, ait cap. XII; »habe aliquam uxorem spiritualem, adsume de viduis, fide »pulchram, paupertate dotatam, aetate signatam: bonas nup»tias feceris. Hujusmodi uxores etiam plures habere Deo »gratum».

S. Joannes Chrysostomus, qui vivebat tempore illo, quo decertatio in mulieres subintroductas acrior evasit, imo in ipso opere, in quo consuetudinem hanc impugnabat, permittit laudatque eos, qui consilium S. Pauli in Epist. ad Timoth. I sequuntur, dicens: «Sunt enim et mulieres quaedam senio confec»tae, vel resectis manibus, vel captae oculis, variisque aliis »morbis invalidae; imo in colligendis nullo opus erit labore» [1].

Qui magis idonei erant, imo vero necessitatem experiebantur consiliis Apostolis obsequendi, fuerunt clerici, praesertim illi, qui a matrimonio soluti erant, nullamque feminam habebant, ad regendam ordinandamque rem domesticam, caeteraque munera peragenda, quae clerico impossibilia, aut non satis decentia videbantur. Ipsae vitae necessitates ad hoc compulerunt. En origo vel saltem occasio illius consuetudinis ab Ecclesia toties impugnatae, prohibitae, tantisque poenis sancitae.

Nemini mira debet esse nostra assertio scilicet: illam consuetudinem toties ab Ecclesia interdictam, originem sumpsisse ex verbis S. Pauli. Optimum enim gratissimumque Deo fuit consilium S. Apostoli; et numquam Ecclesia id minus habuit; Patresque multoties laudant approbantque, ea conditione tamen, sub qua a S. Paulo datum fuit, dummodo spiritale damnum aut feminae, aut homines eas sublevantes non paterentur; et ita a Patribus intellectum atque inculcatum fuit. Clerici vero relaxationi indulgentes ansam sumpserunt ex

1. Migne, P. G., v. XXVI, col. 504.

Apostoli verbis, ad virgines viduasque juvenes, «formaque conspicuas», ut aiebat Concilium Antiochenum, secum retinendas, earumque consortio fruendum.

Fuerunt denique et aliae causae hujus cohabitationis. Impossibilitas scilicet, vel saltem difficultas congregandi viduas virginesque Deo dicatas in communi domo, tempore tot persecutionum; ipsa necessitas, quam feminae, quae saeculo valedicere et Deo suam virginitatem vitamque dicare proposuerant, experiebantur accedendi ad Deum et ad clericos qui Ejus agebant vices; bonum nomen, quo clerici potiebantur apud christianos, quod tantum erat, ut summus esset honor, eis ipsorumque servitio se devovere; familiaritas demun, qua clerici jungebantur faeminis, quae servitio cultuique Ecclesiae adnexae erant.

Haec omnia facta rerumque status influxum habuerunt in propagatione et extensione abusus ab Ecclesia damnati.

Verissimile est clericos obsequentes S. Pauli consilio votisque primis Ecclesiae temporibus viduas senes, feminasque nullam praebentes suspicionem, secum retinuisse; postmodum vero, relaxatione serpente, illis juvenes virgines viduasque praetulisse. Quidquid de iis sit, omnibus apertum compertumque est tales clericos in maximis versari periculis, atque Ecclesiam jure merito clericorum mulierumque subintroductarum consortio sese opposuisse.

H. Achelis affirmat quoddam exstitisse spiritale matrimonium inter homines hos mulieresque subintroductas, eorum in domibus degentes: «Illa unio, ait, intima et perseverans inter »hominem et mulierem, quae matrimonium non constituit »carnale, ut spiritale matrimonium considerari haberique »oportet.» [1].

Idem asseritur in op. «Conciliengeschichte» a Ch. J. Hefele, (versio gallica) Parisiis, 1907, v. I, parte I, p. 201, not. 2. Certum etiam est non raro SS. Patres scriptoresque ecclesiasticos spiritale appellare conjugium memoratum consortium. Nescio tamen an tali nomine insigniri queat, an non; Patres enim irrisionis et ludibrii gratia ita nominant. Aderat quidem

---

1. Cf. H. Achelis, op. cit., p. 27.

quaedam communitas vitae perseverans et constans, quae velut statum mulierum subintroductarum efformabat ab statibus aliis, in quibus caeterae feminae vitam agebant, diversum, quin tamen ullum inveniatur vestigium alicujus vinculi, aut sponsionis neque carnalis neque spiritalis.

Nihil aliud aderat in cohabitatione a S. Paulo, Tertulliano et S. Joanne Chrysostomo laudata celebrataque, nisi quaedam pactio implicita viduas illas paupertate laborantes, senioque confectas alendi, domum victumque eis praebendi; et, ut opinor, nullum aliud vinculum praeter hanc implicitam pactionem interfuit in cohabitatione ab Ecclesia damnata.

Lubet jam huic capiti finem imponere et ecclesiastici coelibatus sortem historiamque tempore incursionum cruentarumque factionum Barbarorum, examini subjicere.

———

CAPUT II

Coelibatus reformatio (400-514).

I.

Coelibatus ecclesiastici reformatio in Hispania.

Saeculo quarto ad finem vertente, magna fuit morum relaxatio, disciplinae ecclesiasticae perturbatio et confusio, magna, ut vidimus, inobservantia coelibatus ecclesiastici. Hic status rerum permansit usque ad initium saeculi quinti. Habemus enim *Epistolam* S. Innocentii I anno 405 scriptam, in qua supponitur adhuc fuisse presbyteros et diaconos jura matrimonii abdicare renuentes .[1]. Caeterum tempora et mores non erant apti ad restaurationem coelibatus. Status Eclesiarum Hispaniae hujus temporis nigris fuit depictus coloribus ab ipso S. Innocentio in *Epistola* ad Episcopos Synodi Tolosanae. «Saepe me, ait, et nimia cum teneret cura sollicitum »super dissensione et schismate Ecclesiarum, quod per Hi»spanias latius in dies serpere et citatiore gradu incedere fama »proloquitur; necessarium tempus emersit, quo non potest »emendatio tanta differri.. Nam fratres nostri, coepiscopus »Hilarius et Elpidius presbyter... violatam intra provinciam »pacem, disciplinae rationem esse confusam, et multa contra »canones Patrum, contempto ordine, regulisque neglectis in

1. Cf. S. Innocentium I, Epist. ad Exuperium Tolos. Episcopum, cap. I-II; Migne, P. L., v. XX, col. 496-498.

»usurpatione Ecclesiarum fuisse commissa,... cum dolore et »gemitu prosecuti sunt» [1]. Legenda est Epist. integra, ut recte existimentur obstacula et difficultates quae subire debuerunt Ecclesiae Hispaniae, perturbationes, et schismata, et dissensiones, quibus perculsae fuerunt.

Etsi tot difficultatibus et obstaculis circumdati, episcopi et Summi Pontifices coelibatus observantiam non neglexerunt, eamque iterum atque iterum inculcarunt. S. Siricius severe reprehendit et punit legis coelibatus transgressores, eos, ut jam vidimus, qui scienter contra coelibatus pugnabant legem, poena depositionis; eos vero qui magis ignorantia, quam malitia lapsi fuerant, nequibant ad alium superiorem gradum ascendere. [2]. Credendum est Himerium Tarracon. Episcop. qui tanto cum zelo S. Siricium consuluit de hac re, oblivioni non dedisse regulas Summi Pontificis, sed e contrario in praxim reducere conatum fuisse; atque ejus exemplum omnes Episcopos Metropolitanos Hispaniae, quibus *Epistola* S. Siricii directa fuit [3], imitatos esse.

Episcopi provinciae Lusitaniae ante annum 400 denuo praescriptionem S. Siricii imposuerunt et observare mandarunt [4]. Et denique Concilium Toletanum I, anno 400 habitum, aliquo modo eam innovat, dum dicit... «Si qui (diacono»rum) ante interdictum quod priores ante nos per Lusitanos »Episcopos constitutum est, incontinenter cum uxoribus suis »vixerint, presbyterii honore non cumulentur. Si quis vero ex »presbyteris ante interdictum filios susceperit, de presbyterio ad episcopatum non permittatur» [5].

Hi episcoporum labores et curae necessario suum effectum consequi debebant. Et revera; S. Siricius anno 383 loquitur de episcopis etiam incontinentibus [6]; aliae autem praescriptiones quae aliquot annis postea datae fuerunt, ut praescriptiones Concilii Toletani I et S Innocentii I, non agunt am-

---

1. Migne, P. L., v. XX, col. 485-486.
2. Cf. Siricium, Epist. ad Himerium Tarr. Episc., cap. VII, 11; Migne, P. L., v. XIII, col. 1140-1141.
3. Cf. S. Siricium, ibidem, cap. XX; Migne, ibidem, col. 1146.
4. Cf. Concilium Toletanum I, can. I; Mansi, v. III, col. 998.
5. Ibidem.
6. Cf. S. Siricium, ibidem, cap. XII, 8; Migne, ibidem, col. 1138.

plius de episcopis incontinentibus, sed solum de presbyteris et diaconis. Hoc probat *Epistolam* S. Siricii quoad episcopos suum efectum sortitam fuisse.

Imo si attente canonem I Concilii Toletani supradicti consideramus, videbimus Concilium non loqui de clericis, qui tempore Concilii maritaliter cum suis uxoribus vivebant; sed de clericis loquitur, qui ante prohibitionem ab Episcopis Lusitaniae factam [1], incontinenter vixerunt [2]. Jure inferri potest et veritate affirmari episcopos in Concilio congregatos nullum casum alicujus clerici, qui coelibatum non servabat, cognovisse, ideoque factionem illam in fine saeculi quarti saltem exterius deletam esse. Non enim est credibile episcopos, qui poenas statuunt pro clericis, qui prius incontinentes, postea coelibatum admiserunt; nullam facere mentionem, nullam poenam imponere clericis, qui tempore Concilii incontinentiae adhuc laxabant frena.

Mea opinio confirmatur etiam et maxime roboratur ipso canone I Concilii. Canon enim non agit directe de clericis incontinentibus; tendit directe contra eos, qui omnes diaconos uxores habentes, etiam si perfectae essent continentiae, a sacro ministerio removere volebant, aut saltem de hac remotione dubitabant; ait enim canon: «Placuit ut diaconus, si vel »integri vel casti sint et continentis vitae, etiamsi uxores »habeant, in ministerio constituantur...» [3]. Apparet igitur quam magnus fuerit zelus, quam magnos fecerint progressus reformatores observantiae coelibatus; in ipso namque saeculi quinti initio ad extremum contrarium tendunt.

His non obstantibus, habemus quoddam factum indubitatum. Anno 405 non deerant adhuc clerici, qui objurgationibus episcoporum surdas praebebant aures. Hoc constat ex *Epistola* S. Innocentii I ad Exuperium, Episcopum Tolosanum. [4]. Pro certo itaque tenendum est labores episcoporum prius in

---

1. Nescimus quandonam haec prohibitio data fuit, et qua occasione. De ea solummodo loquitur Concilium Toletanum, et asserit ante prohibitionem ab episcopis Concilii factam, illam prodiisse.
2. Cf. Concilium Tolet. I, can. I; Mansi, v. III, col. 998.
3. Ibidem.
4. Migne, P. L., v. XX, col. 496-498.

Hispania suos opimos effectus dedisse, ita ut initio saeculi quinti coelibatus saltem exterius observaretur; in Galliae vero provinciis Hispaniae finitimis, ut Tolosana dioecesi et aliis, reformatio paulatim et magis lente progressa est, nam supradicta *Epist.* ad hujus regionis Episcopos missa fuit.

Denique notatione digna est mutatio vel potius mitigatio legislationis poenalis contra clericos incontinentes, quae hoc tempore locum habuit. Concilium Tolet. clericos, qui matrimonio usi fuerant ante interdictum seu prohibitionem Episcoporum Lusitaniae, punit poena suspensionis (si ita possumus dicere), in eo sensu quod non poterant amplius ad superiorem gradum promoveri [1]. Et hoc non solum ilos clericos qui ignorantia lapsi fuerant, sed etiam illos qui scienter legem violaverant. Mitigata ergo fuit poena, quam pro istis S. Siricius statuit.

Fere eodem modo mitigat S. Inocentius I legem S. Siricii, scribens ad Exuperium Tolosanum Episcopum; ait enim cap. IV: «Sed ea plane dispar et divisa sententia est. Nam si ad »aliquos forma illa ecclesiasticae vitae pariter et disciplinae, »quae ab Episcopo Siricio ad provincias commeavit, non pro»babitur pervenisse his ignorationis venia remittetur, ita ut »de caetero penitus incipiant abstinere. Et ita gradus suos in »quibus inventi fuerint, sic retentent, ut eis non liceat ad po»tiora conscendere... Si qui autem scisse formam vivendi mis»sam a Siricio detegetur, neque statim cupiditates libidinis »abjecisse; illi sunt modis omnibus submovendi, qui post »admonitionem cognitam, praeponendam arbitrati sunt vo»luptatem [2].»

Extra dubium est propositum Concilii et summi Pontificis fuisse, quod clerici in futurum contra castitatem peccantes poenis a S. Siricio statutis subjecti essent.

Nullam habemus aliam notitiam circa coelibatum, nullum possidemus testimonium, ex quo historia ejus contexere possimus usque ad initium saeculi sexti. Mea tamen opinio est observationem saltem publicam coelibatus in Hispania pri-

---

1. Cf. Concil. Tolet. I, can. I; Mansi, v. III, 998.
2. Migne, P. L., v. XX, col. 498.

mis saeculi quinti annis reformatam fuisse; et sequentibus annis, per totum saeculum quintum, magis magisque stabilitam et firmatam esse; ita ut deinceps necesse non fuerit talem obligationem denuo in conciliis inculcare.

Haec mea opinio his nititur fundamentis. Primum est silentium Romanorum Pontificum Episcopis Hispaniae litteras mittentium, in quibus de ecclesiastica disciplina agunt. Ita S. Leo Magnus scribit ad Turribium, Asturicensem Episcopum, quin aliquid de continentia clericorum loquatur [1]; Simplicius qui ad Zenonem Hispalensem Episcopum scripsit circa annum 476, istum suum vicarium nominans [2]; et praecipue Hilarius qui duas epistolas ad Ascanium Tarraconensem Episcopum misit, atque in una earum describit qualitates, quibus ornari debet ille qui sacerdos fieri desiderat [3].

Merito igitur concludere possumus coelibatus legem in Hispania communiter acceptam, servatamque fuisse.

Non est enim credendum summos Pontifices, qui tanto studio correctioni aliorum abusuum dabant operam, hunc neglexisse.

Videamus nunc quales fuerint coelibatus progressus in aliis Ecclesiae regionibus, simulque perquiramus, an clerici aliarum regionum vocibus summorum Pontificum tam attentas sicut Hispani praebuerint aures, an non.

II.

Coelibatus ecclesiasticus in aliis Ecclesiae partibus.

Certamen initum inter Galliae Episcopos et clericos incontinentes acer fuit atque longum. Certum est majorem Episcoporum partem Galliae totis pugnasse viribus ad coelibatus observationem inculcandam. Testes sunt Concilia Arelatense

---

1. Migne, P. L., v. LIV, col. 666-677.
2. Migne, P. L., v. LVIII, col. 35.
3. Migne, P. L., v. LVIII, col. 12-17.

II (452). can. II [1], Turonense (460), can. I et II [2], Agathense (506), can. IX [3]; et Episcopi Lupus et Euphronius qui scriptis coelibatus partes susceperunt [4].

Hi autem labores atque curae episcoporum laudabiles aliud supponunt, scilicet magnam oppositionem, quam clerici incontinentes episcopis fecerunt. Potest ergo sine dubio affirmari per totum saeculum quintum fuisse aliquos clericos, plures vel pauciores numero, qui ad conjugale redibant commercium, ideoque legem coelibatus perfecte non fuisse observatam in Gallia. Hae clericorum defectiones diversis conciliorum praescriptionibus occasionem dederunt. Advertendum est nos hic loqui de coelibatu clericorum majorum, quique ante suam ordinationem matrimonio juncti erant. Ut patet, quaestio non est de admissione legis, omnes enim Episcopi Galliae eam admiserunt; agitur de majori vel minori observatione legis a quibusdam clericis. Concilia quae contra hanc infractionem suas levaverunt voces, supponere faciunt ea realem habuisse causam. [5].

Quaestio introductionis coelibatus in Britannia difficilis est. Fere omnes scriptores *protestantes* affirmant clericos illius regionis non fuisse ad coelibatum ligatos ejusque observationem non fuisse introductam. F. X. Funk optime demonstravit *protestantium* scriptorum assertionem non esse veram, atque post initium saeculum sextum coelibatum introductum et receptum fuisse... [6].

Ex quinto autem saeculo nullum habemus testimonium, quod de coelibatu aut matrimonio clericorum in Britannia agit. Scriptores *protestantes* ad suam affirmationem statuendam atque roborandam afferunt cap. VI Synodi a S. Patricio, Auxilio, etc. habitae anno 450, ...«Uxor clerici, si non velato »capite ambulaverit, pariter a laicis contemnetur et ab Eccle-

---

1. Mansi, v. VII, col. 879.
2. Mansi, v. VII, col. 944-945.
3. Mansi, v. VIII, col. 326.
4. Hardouim, v. II, col. 791.
5. Circa historiam coelibatus in Gallia vide praecipue E. Vacandard: «Les origines du célibat ecclésiastique», in «Études de critique et d' histoire religieuse»; v. I, p. 105-112.
6. Cf. Funk. (F. X.) «Zur Geschichte der altbritischen Kirche» in «Kirchengesch. Abhandlungen, etc.», I, p. 450-455.

»sia separetur» [1]; et *Confessionem S. Patricii.* I «Ego Pa»tricius peccator..., patrem habui Calponium diaconum filium »quondam Potiti presbyteri...» [2] Testimonia autem haec nihil probant sive pro sive contra coelibatum. Canon enim non dicit num uxor clerici minoris sit, num clerici majoris, et num cum suo viro commercio utatur conjugali, num ab eo abstineat. Confessio autem S. Patricii non asserit suum patrem fuisse diaconum ante nativitatem ejusdem S. Patricii; Caeterum oblivioni dari non debet S. Patricium natum fuisse circa annum 373, quo tempore probabilissimum est, coelibatum non fuisse introductum in Britannia· Saeculum quintum et sextum, ut opinor, determinanda sunt ut tempus, in quo coelibatus obligatio ibi vigere coepit. [3].

Italia fuisse videtur una ex nationibus, in qua prius coelibatus introductus fuit. S. Ambrosius dicens solummodo in abditioribus locis esse clericos, qui filios generabant [4]; fatetur inde in magna Italiae parte, saltem quae Mediolano proxima erat, coelibatum publice observari. Praecipuus Patronus coelibatus S. Siricius in Concilio Romano 386 legem primam instituit [5]. Denique Episcopi Italiae superioris in Concilio Taurinensi (401) congregati, praecipiunt: «Hi autem qui con»tra interdictum sunt ordinati, vel in ministerio filios genue»runt, ne ad majores gradus ordinum permittantur» [6].

Post hoc Concilium nullum existit testimonium, nullum scriptum quod de coelibatus observantia agat, vel eam inculcet. Hoc autem silentium interpretandum est, ut argumentum observationis saltem exterioris. Re quidem vera desiderium Ecclesiae, imo legislatio ejus super coelibatum erat clara et determinata, nullum relinquebat dubitandi locum. Non est autem probabile concilia, quae toties observationem aliarum regularum ecclesiasticarum commendant, solummodo coeliba-

1. Mansi, v. VI, col. 516.
2. Migne, P. L., v. LIII, col. 801.
3. Cf. Funk, (F. X.) loc. cit.
4. Cf. S. Ambrosium, «De officiis» lib. I, cap. L; Migne, P. L., v. XVI, col. 98.
5. Cf. Jaffé-Loevenfeld, «Regesta Romanorum Pontif.» v. I, p. 41.
6. Concilium Taurinense, can. VIII; Mansi, v. III, col. 862. Circa tempus, in quo hoc Concilium locum habuit, consulatur Babut, «Le Concile de Turin», Paris, Picard, 1904, p. 7 et seq.

tus observantiam neglexisse, incontinentiae clericorum suo silentio favisse.

Praeterea ipsi Summi Pontifices qui tanto ardore coelibatus partes agebant, qui, scriptis suis fere ad omnes Ecclesiae partes missis (ut Siricius ad Hispaniam, Innocentius I ad Galliam, S. Leo Magnus ad Galliam et ad Thessalonicam [1], continentiam perfectam omnium Ecclesiae sacerdotum, presbyterum et diaconorum stabilire peroptabant, non tacuissent certe in suis epistolis ad Italiae Ecclesias, si in istis abusus aliqui contra coelibatum publice accidissent. Coelibatus ergo saltem publice observatus fuit in Italia per totum saeculum quintum.

Episcopi etiam Ecclesiae Africae votis S. Siricii satisfacientes atque annuentes, jam a fine saeculi quarti operam dant coelibatui introducendo. In Concilio Carthaginensi II (390) clarissimis verbis continentiam clericorum majorum vindicavit Epigonus, Episcopus Bullae-regiae. Ait enim: «Cum »in praeterito Concilio de continentiae et castitatis moderami»ne tractaretur, gradus isti tres qui constrictione quadam ca»stitatis, per consecrationes annexi sunt; episcopos inquam »presbyteros et diaconos ita placuit ut condecet sacrosanctos »antistites et Dei sacerdotes nec non et levitas, vel qui »sacramentis divinis inserviunt, continentes esse in omnibus, »quo possint simpliciter quod a Deo postulant impetrare; ut »quod Apostoli docuerunt, et ipsa servavit antiquitas nos »quoque custodiamus. Ab omnibus episcopis dictum est: »Omnibus placet ut episcopi, presbyteri et diaconi, (vel qui »sacramenta contrectant.) pudicitiae custodes, etiam ab uxo»ribus se abstineant...» [2]. Iam diximus haec Epigoni verba et ejus opinionem nullius esse momenti, nullamque habere vim, ad apostolicitatem legis coelibatus, imo neque ejus antiquam observationem probandam. Tamen ex ejus verbis infertur clare et manifeste quoddam praecedens Concilium (probabilissime Concilium Carthaginense I eodem anno habitum), continentiam perpetuam clericis majoribus imposuisse.

---

1. Migne, P. L., v. LIV, col. 672.
2. Mansi, v. III, col. 692.

Episcopi ergo Ecclesiae Africanae jam ab initio praecepta S. Siricii admittunt, atque pro coelibatus obligatione partes sumunt.

His Episcoporum conatibus et studiis non obstantibus, Concilium Carthaginense IV asserit adhuc esse quosdam clericos, qui erga suas uxores incontinentes erant. [1]. Hoc Concilium fuit habitum anno 401 .Nullum aliud posterius argumentum existit circa observantiam hujus continentiae. Hoc autem silentium non est interpretandum in favorem observantiae, quia perturbationes et difficultates occasione Pelagianismi exortae et praesertim persecutiones Vandalorum potuerunt oculos episcoporum avertere a correctione clericorum incontinentium, atque hujusmodi abusus facilius serpere. Quidquid sit de majori vel minori observantia coelibatus in praxi; certum est Episcopos Ecclesiae Africanae legem coelibatus admisisse. Ita S. Augustinus loquitur de obligatione coelibatus, ut ab omnibus admissa [2].

Ut finem huic paragrapho demus, necessarium mihi videtur, etiam pauca de coelibatus statu in Oriente dicere. Usque ad finem saeculi quarti nulla generalis lex super coelibatu promulgata fuit. Fuerunt quidem non pauci episcopi et clerici qui coelibatum libere observarunt. Fuerunt etiam episcopi qui eum clericis imponere voluerunt, et eum clericis convenientem et necessarium judicarunt, ut S. Epiphanius [3], et Eusebius [4]. Fuerunt etiam Ecclesiae, quae consuetudine Occidentis permotae, eum obligatorium clericis reddiderunt, ut patet in Epiphanio et Hieronymo [5]. Numquam vero ut

---

1. Cf. Concilium Carthag. V, can. III; «Praeterea cum de quorumdam clericorum, quamvis erga uxores proprias, incontinentia referretur, placuit episcopos et presbyteros et diaconos, secundum priora statuta, etiam ab uxoribus continere. Quod nisi fecerint, ab ecclesiastico removeantur officio...» Mansi, v. III, col. 969.

2. Cf. S. August., «De conjugiis adult.» lib. II, cap. XXI; Migne, P. L., v. XL, col. 486.

3. Cf. S. Epiphanium, Advers. Haereses, XL, cap. IX; Migne, P. G., v. XLI, col. 868; et Adver. Haeres., LIX, cap. IV; Migne, ibidem, col. 1024.

4. Cf. Eusebium, Demonst. evang., I, cap. IX; Migne P. G., v. XXII, col. 81.

5. Cf. S. Epiphanium, ibidem, et S. Hieronymum, Contra Vigilantium», lib. I, cap. II; Migne, P. L., v. XXIII, col. 341.

lex generalis et obligans in omnibus Ecclesiis Orientis, coelibatus observantia fuit recepta. Ipsa etiam tendentia quae in aliquibus locis manifestatur (absque dubio sub influxu Occidentis) in fine saeculi quarti cito decrescit et evanescit postremo.

Ipse G. Bickell admittit et probat in Persia continentiae observantiam dimidio saeculi quinti in desuetudinem cecidisse; et ex hoc tempore etiam episcopos filios generasse communiter [1].

Socrates in sua *Historia ecclesiastica* lib. V, cap. XXII, (circa annos 440-450 scripta,) describit verbis claris statum coelibatus in Oriente suo tempore. Scriptor loquitur de diversis consuetudinibus Ecclesiarum, et ait: «Aliam quoque »consuetudinem in Thessalia esse cognovi. Clericus ibi pro»motus, si post clericatum dormierit cum uxore, quam ante »clericatum legitimo matrimonio sibi copulaverat, abdicatur: »cum in Oriente cuncti sua sponte, etiam episcopi ab uxori»bus abstineant, nulla tamen lege aut necessitate constricti »id faciant. Multi enim illorum, episcopatus etiam sui tempore »liberos ex legitimo conjugio susceperunt... Eadem consue»tudo Thessalonicae, et in Macedonia atque Achaia obser»vatur» [2].

Verba nulla indigent expositione et Socrates plenam meretur fidem. Sequitur itaque in Oriente tempore Socratis nullam legem super coelibatu fuisse datam, coelibatus observantiam liberam esse et non paucos etiam episcopos hac libertate uti ad filios generandos.

Concilium denique Trullanum (anno 696) legislationem de coelibatu in Oriente stabilivit firmavitque. De subdiaconis, diaconis et presbyteris ait can. VI: «Quoniam in apostolicis ca»nonibus dictum est, eorum, qui, non ducta uxore in clerum »promoventur, solos lectores et cantores uxorem posse duce»re; et nos hoc servantes decernimus, ut deinceps nullo peni»tus hypodiacono, vel diacono vel presbytero post sui ordi»nationem contrahere liceat. Si autem fuerit hoc ausus face-

1. Cf. G. Bickell, «Zeitschrift für kathol. Theologie», v. II, p. 55-56.
2. Migne, P. G., v. LXVII, col. 637.

»re deponatur. Si quis autem eorum qui in clerum accedunt, »velit lege matrimonii mulieri conjungi, antequam hypodiaco- »nus, vel diaconus, vel presbyter ordinetur, hoc faciat» [1].

Et clarius adhuc can. XIII «Quoniam romanae Ecclesiae »pro canone traditum esse cognovimus, ut promovendi ad »diaconatum vel presbyteratum, profiteantur se non amplius »suis uxoribus conjungendos: nos antiquum canonem apo- »stolicae perfectionis ordinisque servantes, hominum qui sunt »in sacris legitima conjugia deinceps quoque firma et stabilita »esse volumus; nequaquam eorum cum uxoribus conjunctio- »nem dissolventes, vel eos mutua tempore convenienti con- »suetudine privantes. Quamobrem si quis dignus inventus »fuerit, qui hypodiaconus, vel diaconus, vel presbyter ordine- »tur, is ad talem gradum assumi nequaquam prohibeatur, si »cum legitima uxore cohabitet. Sed neque ordinationis tem- »pore ab eo postuletur ut profiteatur se a legitima cum uxore »consuetudine abstenturum. . Si quis ergo fuerit ausus »praeter apostolicos canones incitatus, aliquem eorum qui »sunt in sacris, presbyterorum, inquimus, vel diaconorum, vel »hypodiaconorum consuetudine cum legitima uxore et con- »suetudine privare, deponatur» [2], et denique can. XLVIII praecipit ut: «Uxor ejus, qui ad episcopalem dignitatem »promovetur communi sui viri consensu separata, postquam »in episcopum ordinatus est et consecratus, monasterium »ingrediatur procul ab episcopi habitatione extructum et »episcopi providentia fruatur. Sin autem digna visa fuerit, »etiam ad diaconatus dignitatem provehetur» [3].

Testimonia atque documenta quae de coelibatu in omnibus fere Ecclesiae catholicae regionibus loquuntur, celeri gradu percurrimus, continentiae perpetuae observantiam et statum perspeximus. Comparatio status coelibatus in his omnibus regionibus, clericis et episcopis hispanis honorem magnum affert. Hispania fuit natio quae primo legem coelibatus clericis majoribus imposuit; prima quae, relaxatione serpente, correctioni et emendationi operam dedit. Unica et ho-

1, Mansi, v. XI, col. 943.
2. Mansi, v. XI, col. 947-948.
3 Mansi, v. XI, col. 966.

norabilis mentio facienda est pro Italiae Ecclesiis, quae vestigia Eccles. Hispaniae propere secuta fuit.

Saeculo quinto currente, cujus studio incumbimus, quidam magni momenti eventus accidit, impositio videlicet coelibatus ipsis subdiaconis, qui prius ei non erant subjecti; necessarum igitur est de hoc eventu aliquid dicere.

III.

Subdiaconorum coelibatus.

S. Epiphanius est unicus scriptor saeculi quarti, qui de subdiaconis loquitur tamquam coelibatui subjectis. «Quin »eum insuper ait, qui adhuc in matrimonio degit, et liberis »dat operam, tametsi unius sit uxoris vir, nequaquam tamen »ad diaconi, presbyteri, episcopi, aut hypodiaconi ordinem »admittit» [1]. Cum S. Epiphanius ita loquatur, credendum est talem consuetudinem in aliquibus Ecclesiis viguisse. Certum tamen est neque summos Pontifices neque concilia saeculi quarti et initii saeculi quinti subdiaconis legem coelibatus imposuisse.» [2].

Nullum obligationis vestigium invenitur usque ad annum 450, quo tempore S. Leo Magnus ad Anastasium Episcopum Thessalonicensem litteras misit. In iis igitur litteris sequens

1. Cf. S. Epiphanium, Adversus Haeres. LIX, cap. IV; Migne, P. G., v. XLI, col. 1024.

2. Sozomenus «Historia ecclesiastica» lib. I, cap. XXIII, ait episcopos Concilii Nicaeni voluisse coelibatum *episcopis*, *presbyteris*, *diaconis*, et *subdiaconis* imponere, Migne, P. G., v. LXVII, col. 925. Haec vero affirmatio nullo gaudet fundamento et omni caret probabilitate. Socrates qui melius factum cognovit quam Sozomenus, pleniorem meretur fidem. Socrates ergo testificatur Patres voluisse *episcopos*, *presbyteros* et *diaconos* legi subjicere. Affirmatio, seu potius error Sozomeni ita explicatur, ut opinor; Sozomenus cognoscebat factum, scilicet, episcopos Concilii voluisse imponere coelibatum clericis; cum autem tempore Sozomeni nomine clericorum, qui ad coelibatum in Ecclesia romana tenebantur, designabantur episcopi, presbyteri, diaconi et subdiaconi; credidit ipse sub nomine clericorum episcopos, presbyteros, diaconos et subdiaconos Concilium designavisse.

canon legitur: «Nam cum extra clericorum ordinem constitu»tis nuptiarum societati et procreationi filiorum studere sit »liberum; ad exhibendam tamen perfectae continentiae puri»tatem, nec subdiaconibus quidem carnale connubium conce»ditur, ut et qui habent sint tamquam non habentes (Corinth. »I cap. VIII), et qui non habent permaneant singulares. Quod »si in hoc ordine, qui quartus a capite est, dignum est custo»dire; quanto magis in primo, vel secundo, vel tertio servan»dum; ne aut levitico ministerio, aut presbyterali honori, aut »epispopali excellentiae quisquam idoneus existimetur, qui se »a voluptate uxoria necdum frenasse detegitur.» [1].

Origo atque evolutio hujus obligationis evidens est atque clara. Vidimus jam non pauca concilia legem coelibatus imponentia clericis majoribus, addere: «vel omnibus in ministerio positis», aut «omnibus qui sacramenta contrectant». Dictum est, et ab omnibus scriptoribus hodie admittitur, mentem horum conciliorum non fuisse sub iis verbis subdiaconos comprehendere. Probabile tamen est episcopos et concilia postea venientes, illa verba ad subdiaconos applicavisse. Aliud factum certum est, saeculi quarti fine et initio saeculi quinti multos fuisse subdiaconos, qui coelibes libere permanebant.

Denique officium et ministerium subdiaconorum non differebat in multis a ministerio et officio diaconorum in ecclesia. Mirum igitur non est, si episcopi paulatim etiam subdiaconos ut coelibatui subjectos considerant in his circumstantiis. Superfluum est dicere hanc obligationem paulatim progressam fuisse; et initio quidem episcopos justum et dignum solummodo judicasse eis coelibatum praescribere, qui in ecclesia fere quotidie ministrabant, quorum officium et ministerium diaconorum officio et ministerio simile erat, quorum non pauci libere coelibatum servabant. Attente considerato et perpenso canone S. Leonis Magni, infertur evolutionem obligationis non esse adhuc perfectam atque completam; Summus enim Pontifex videt quamdam distinctionem et differentiam

---

1. Migne, P. L., v. LIV, col. 672.

inter obligationem coelibatus diaconorum et subdiaconorum, istamque *dignam* judicat.

Fatendum est distantiam inter obligationem coelibatus clericorum majorum et subdiaconorum in mente summi Pontificis non esse magnam; et episcopi curabunt cito hanc distantiam percurrere, atque subdiaconos eodem modo ac clericos majores ad coelibatum perpetuamque continentiam obligare. Re quidem vera initio saeculi sexti evolutio erat perfecta et plena; in Hispania subdiaconi perpetuam continentiam servabant, ut clerici majores [1]; concilia enim initii saeculi sexti nullam faciunt differentiam inter episcopos, presbyteros, diaconos et subdiaconos. Obligatio igitur coelibatus pro subdiaconis in Hispaniam introducta fuit circa annos 440-500.

Probabilissimum est ipsum S. Leonem operam dedisse observantiae coelibatus subdiaconorum, ejusque dignitatem et excellentiam imo et obligationem Episcopis Hispaniae praedicavisse, mediante S. Turribio Asturicensi Episcopo, cum quo habuit litterarum commercia [2].

Nobis non constat quot difficultates et obstacula superare debuerint Episcopi Africae et Italiae, ad subdiaconorum coelibatum in has regiones introducendum. Si comparationem instituimus inter Galliam et Hispaniam, mirum nobis videbitur, quam facile in istam introductus fuerit.

In Gallia Concilium Turonense (461) can. I-II [3], Concilium Agathense (506), can. IX, et XVI [4], et Concilium Arvernense (535), can. XIII [5], praescribunt coelibatum solummodo episcopis, presbyteris et diaconis; idemque facit summus Pontifex Joannes II in *Epist... ad Caesareum Arelatensem Episcopum*, circa annum 534 scripta [6]. Prima lex in Gallia fuit data in Concilio Aurelaniense III (538), can. II [7].

---

1. Cf. Concilium Gerundense (517), can. VI; Mansi, v. VII, col. 547.
2. Migne, P. L., v. LIV, col. 666-677.
3. Mansi, v. VII, col. 943.
4. Mansi, v. XIII, col. 326 et 327.
5. Mansi, v. VIII, col. 861-864.
6. Hardouin, Coll. Concil. v. II, col. 1155.
7. «Ut nullus clericorum a subdiacono et supra, qui uxores in proposito suo accipere inhibentur, propriae, si jam habeat, misceatur uxori.

Tamen tribus annis postea Concilium Aurelianense IV, can. XVII, simpliciter ait: «Ut sacerdotes, sive diaconi, cum conju»gibus suis non habeant commune lectum et cellulam, ne »propter suspicionem carnalis consortii religio maculetur. »Quod qui fecerint juxta priores canones ab officio degra»dentur.» [1]. Legislatio igitur circa coelibatum subdiaconorum non erat firma et stabilis in Gallia, et non omnes episcopi necessitatem hujus obligationis videbant. Magna igitur erat differentia inter statum coelibatus ejusque legislationis in hac regione et in Hispania, ubi quadraginta annis antea obligatio haec ab omnibus erat admissa, et majorum clericorum obligationi aeque paris facta.

Saeculo sexto mediante solummodo, praedicta obligatio aliquos fecit progressus in Gallia. Concilium enim Turonense II (567) supponit, can. XIX, subdiaconos ad coelibatum teneri: »Archipresbyteri vicani, ait, et diaconi et subdiaconi, non »quidem omnes, sed plures in hac suspicione tenentur a popu»lo, quod cum conjugibus suis maneant. [2]. Eandem regulam sequitur Antissiodorense (578), can. XXI [3].

Progressu indicato non obstante, Concilium Lugdunense III (583) can. I ait: «Placuit etiam, ut si quicumque uxoribus »juncti ad diaconatus aut presbyteratus ordinem quoquo modo »pervenerint, non solum lecto, sed etiam frequentatione quo»tidiana debeant de uxoribus suis sequestrari; quod si, quod »Deus avertat, de eorum familiari contubernio post acceptam »benedictionem infans natus paruerit, ab officii gradu priven»tur» [4].

Denique Summus Pontifex Zaccarias hoc responsum dedit *Quaestionario Pepini.* «Qui clerici etiam ab uxoribus »abstinere debeant, ex Concilio Africano ita continetur »cap. XXXVII. Praeterea cum de quorumdam clericorum,

---

Quod si fecerit, laica communione contentus juxta priorum canonum statuta ab officio deponatur...» Mansi, v. IX, col. 12.

1. Mansi, v. IX, col. 116.
2. Mansi, v. IX, col. 797-798.
3. Mansi, v. IX, col. 914. «Non licet presbytero post acceptam benedictionem, in uno lecto cum presbytera sua dormire, nec in peccato carnali misceri, nec diacono aut subdiacono.» Cf. can. XX; Mansi, ibidem.
4. Mansi, v. IX, col. 941-942.

»quamvis erga proprias uxores incontinentia referretur, pla»cuit episcopos et presbyteros seu diaconos secundum pro»pria statuta etiam ab uxoribus continere; quod nisi fecerint »ab ecclesiastico officio removeantur. Caeteros autem cleri»cos ad id non cogi, sed secundum uniuscujusque Ecclesiae »consuetudinem observari debere» [1].

Testimonia haec sunt clarissima, et nullo indigent commentario. Lex illa, cujus excellentiam S. Leo Magnus praedicavit, et quae ab initio saeculi sexti in Hispania vigebat, ante finem saeculi septimi in Galliam non fuit introducta.

IV.

De mulieribus viduis clericorum.

Observatio coelibatus ab iis, qui matrimonii vinculo erant ligati, non solvebat legem ipsius matrimonii, omnia conjugii jura integra et salva manebant primis Ecclesiae temporibus [2]. Uxor ergo illius, qui ad sacros assumebatur ordines et perpetuam continentiam amplecti optabat, non poterat ad alias transire nuptias. Aut ingrediebatur monasterium virginum, aut commorabatur cum viro suo, domesticisque operibus incumbebat [3]. Ut vir sacros suscipere ordines posset, necesse erat assensum uxoris, ejusque voluntatem perscrutari atque obtinere [4]. Sororis et conservae nomine ipsa designabatur [5]. Non paucae earum viri exemplum sequentes, perpetuam promittebant continentiam.

Haec omnia facta omnesque hae circumstantiae jam ab ini-

1. Hardouin, Coll. Concil., v. III, col. 1903.
2. Excepto carnali commercio, quod abdicabant.
3. Cf. cap. I, parag. VIII, p. 37-38.
4. Pseudo-Hieronymum, Epist. ad Oceanum, «De vita clericorum», III: «Cum uxoris enim consensu ejusmodi ad regimen sacerdotii promoventur». Migne, P. L., v. XX, col. 289.
5. Ex hoc numero fuerunt, uxor S. Paulini Nolani, uxor Salviani presbyteri Massiliensis, uxor Lucinii Hispani et quaedam Juliana, de qua loquitur S. Ambrosius.

tio Ecclesiae hanc crearunt opinionem, scilicet uxorem suum assensum electioni et consecrationi viri dantem, implicite promisisse perpetuam continentiam servaturam fore.

Scimus autem viduas virginesque quae perpetuae continentiae votum fecerunt, seque Deo dicaverunt, non posse nova contrahere conjugia. Haec est ratio et fundamentum propter quod Concilium Tolet. I (401) praescripsit can. XVIII: »Si qua vidua episcopi, sive presbyteri, aut diaconi, maritum »acceperit, nullus clericus, nulla religiosa cum ea convivium »sumat, numquam communicet, morienti tamen ei sacramen»tum subveniat.» [1].

Revera nullum aliud conciliorum Hispaniae de viduis agit clericorum; probabiliter ergo lex observata fuit abususque rari insuetique fuerunt.

1. Mansi, v. III, col. 999.

CAPUT III

Coelibatus in Hispania ab ineunte saeculo sexto usque ad Visigothorum conversionem (515-589).

Qui hujus narrationis cursum attento perpenderit judicio, deteget invenietque omnes coelibatus infractiones, quibus Patres conciliaque sese opponere, constansque bellum indicere debuerunt, commissas fuisse a duobus clericorum ordinibus; ab illis videlicet, qui matrimonio divincti fuerant, priusquam sacros susciperent ordines, atque ab iis qui altaris ministerio coelibes fuerunt mancipati. De unoquoque ordine verba fecimus, primorum quidem consulto dataque opera; istorum vero in paragr. IV cap. I, et cum de mulieribus subintroductis actum fuit. Hic diversus ordo clericorum apprime consignandus est, menteque retinendus, ut narratio quae statim subsequetur, clarior ordinatiorque disponatur. Non enim fuit eadem vita ipsorum agendique ratio, quatenus ad coelibatus spectat observationem. Quamobrem et nos de eis sejunctim agemus.

I.

Observatio coelibatus a clericis matrimonio ligatis. Causae hujus observationis.

Dictum fuit capite praecedenti Patres conciliaque Ecclesiarum Hispaniae ad aliquem exitum pervenisse, suumque propositum plus minusve tenuisse; atque affirmandum est hunc

exitum per integrum saeculum sextum mansisse. Nullum conciliorum, quae in Hispania locum habuerunt, currente saeculo sexto, de iis conjugalibus loquuntur abusibus; et sola ratio, quare concilia iisdem corrigendis non dederunt operam, est observantia custodiaque continentiae a clericis matrimonio subjectis. Certe et absque haesitatione ulla affirmari potest memorata concilia nullam cognovisse hujusmodi continentiae laesionem; incredibile enim est episcopos ipsos qui tanto cum zelo separationi clericorum, qui matrimonio soluti erant a mulieribus extraneis incubuerunt, oblivioni tradidisse clericos matrimonii usum facientes.

Historia itaque coelibatus in Hispania ab initio saeculi sexti usque ad ultima tempora imperii Visigothorum paucis his verbis tradi consignarique potest. Legislatio erat completa et perfecta; et maxima pars clericorum, de quibus quaestio est, legi coelibatus obtemperavit [1].

Utile reapse judico paululum immorari breveque dare spatium cuidam facto vel eventui, qui saeculi sexti initio accidit, et magnam connexionem, summumque habuit influxum in perfectam coelibatus observationem.

Tenuit consuetudo, ut uxores, quarum viri ad sacros ordines electi fuerant, commorarentur in istorum domibus, eisque ut sorores ministrarent; eam fuisse omnibus Ecclesiis communem, saeculis praecedentibus demonstratum, probatumque fuit. Concilium Toletanum I illam pro Hispania testificatur, dum determinat can. VII: «Placuit, ut si quorumcumque cleri»corum uxores peccaverint, (ne forte licentiam peccandi plus »habeant) accipiant mariti earum hanc postetatem, praeter »necem custodiendi et ligandi in domo sua... Cum uxoribus

1. Mirum forsitan quibusdam videbitur, me uti solummodo probationibus indiciisque negativis, ad meam sustinendam sententiam. Sed hoc velim sibi persuadeant ipsi, nullum aliud nos habere testimonium Patrum aperte dicentium coelibatus legem observatam fuisse; et insuper supradictas probationes indiciaque magnam habere vim, ut dictum est; mente enim capi nequit, quomodo Patres conciliaque, qui summo studio adlaborarunt in reformatione coelibatus clericorum, qui coelibes sacris adscripti fuerunt ordinibus, Patres illi qui in omnibus conciliis hujus temporis suas levarunt voces, ad continentiam inculcandam, quique gravissimis poenis infractiones punierunt; ne verbum quidem agant, nullamque statuant poenam pro clericis matrimonio ligatis, qui incontinentiae indulgebant. Indicium est sane negativum, magna tamen pollet vi.

»autem qui peccaverint nec cibum sumant; nisi forte ad timo»rem Dei acta poenitentia revertantur» [1]. Uxores itaque clericorum victum habitationemque suis viris communes habebant, atque consortio fruebantur domestico in ipso saeculo quinto.

Hujusmodi consuetudo non erat solummodo permissa et tolerata ab Ecclesia, verum etiam ab ipsis Summis Pontificibus rata imo et praescripta, ut conferri potest apud S. Leonem Magnum in *Epist. ad Rusticum Narbonensem Episcopum* cap. III: «Unde et id de carnali fiat spirituale conjugium, »oportet eos nec dimittere uxores, et quasi non habeant sic »habere; quo et salva sit caritas connubiorum et cessent »opera nuptiarum.» [2].

Nemo tamen non videt familiaritatem et quotidianum commercium maximo exposuisse periculo continentiam castitatemque virorum clericali militiae adscriptorum et qui conjugali vitae assuefacti jam pridem erant.

Hac permoti ratione, coelibatusque observationis amore capti, remedium quoddam excogitarunt, quo malum a radicibus extirparetur et clericorum niteret continentia. Hujusmodi remedium fuit separatio clericorum a suis uxoribus.

Haec innovatio ecclesiasticae legislationis habuit locum initio saeculi sexti. Concilium Gerundense anno 517 congregatum haesitat in impositione hujus separationis, allectum absque dubio desiderio vitandi clericorum defectiones, et respectu observantiaque erga quandam consuetudinem universaliter receptam approbatamque. Sic intelligitur quare canon VI impositus fuit a Patribus: «De conversatione vitae id sta»tuere placuit a pontifice usque ad subdiaconum, post su»scepti honoris officium, si quis ex conjugatis fuerit ordina»tus, ut sine conjuge habitet: quod si habitare noluerit, alte»rius fratris utatur auxilio, cujus testimonio vita ejus debeat »clarior apparare» [3].

Propositum Episcoporum in Concilio congregatorum evidens compertumque est. Volunt clericos a suis separare uxo-

1. Mansi, v. III, col. 999.
2. Migne, P. L., v. LIV, col. 1201.
3. Mansi, v. VIII, col. 549.

ribus; non audent tamen hanc imponere obligationem clericis communem consuetudinem sequi optantibus; sed eis quemdam testem suae vitae imponunt, qui detegere et revelare possit, quo consilio vel proposito cum suis uxoribus commorari velint, et hunc in modum gravissimis poenis contra castitatem violantes latis, subjici queant. Praeterea continua diuturnaque frequentia hujus testis non paucas molestias eis afferre debuit; et consequenter fuit optima Concilii cautio, ad cohabitationes eradicandas, nisi vera cogeret necessitas [1].

Memorata Concilii Gerundensis praescriptio non fuit oblivioni tradita, neque in desuetudinem venit. Circa finem saeculi sexti Concilium Toletanum III prohibuit clericis, qui in majoribus constituti ordinibus «ex haeresi veniunt, uno con»clavi cum uxoribus manere: et certe si suffragatur virtus, in »alia domu suam uxorem habitare faciant» [2]. Episcopi Concilii quadam pietate sunt permoti erga clericos haeresi infectos, qui ad sinum redibant Ecclesiae, et ob hanc causam nolunt eos disjungere subito atque omnino a suis uxoribus quibuscum maritaliter vixerant usque ad illam diem, atque eis aliquam imponunt solummodo separationem. In eodem canone alloquitur Concilium clericos fide integros, et tamen nullam metionem fecit de separatione istorum a suis uxoribus; imo severissime prohibuit eos cum mulieribus extraneis commorari, quin de uxoribus aliquid dicat. Consequitur evidenter ex hoc canone clericos, de quibus sermo est, segregatos ab uxoribus duxisse vitam in saeculo sexto. Episcopi enim non potuerunt permittere clericis catholicis, quod ex haeresi venientibus reçusarunt, pietate non obstante, qua erga istos affecti erant.

Effectus hujus provisionis Episcoporum Hispaniae cito in lucem prodierunt. Sic, dum Galliae Concilia iterum iterumque inculcant coelibatus observationem, totisque student viribus removere clericos a commercio carnali cum uxoribus; Hispa-

---

1. Canonem loqui de obligatione habendi secum in domo aliquem clericum clarius adhuc apparet ex sequenti canone, ubi eadem obligatio imponitur clericis, qui coelibes ordinati fuerunt et familiam domo habebant. Mansi, ibidem, col. 549-350.
2. Mansi, v. IX, col. 994.

niarum Episcopi finem propositumque suum consecuti fuere jam ab initio saeculi sexti. Hujus autem diversitatis ratio est, quia Episcopi Galliae memoratam innovationem in suas Ecclesias introducere non ausi fuerunt; satis enim fuit eis prohibere clericis habitare in eadem «cellula» cum uxoribus, communeque lectum habere.

Solummodo Concilium Lugdunense 583 quamdam ordinationem statuit, quae affinitatem habet cum hispanica innovatione, can. I: «Placuit etiam, ut si quicumque uxoribus junc»ti ad diaconatus, aut presbyteratus ordinem quoquo modo »pervenerint, non solum lecto, sed etiam frequentatione quo»tidiana debeat de uxoribus sequestrari.» [1]. Haec vero praescriptio fuit cito derogata contraria consuetudine, et oblivioni tradita. Uxores clericorum sortiebantur nomina *episcopissae*, vel *episcopae*, *presbyterae*, *diaconissae* et *subdiaconissae* juxta dignitatem ministeriumque virorum; domorum gubernationem habebant, servorum et ancillarum praeibant operibus. [2].

Demun aliquam mentionem facere oportet cujusdam facti, quod absque dubio influxum habuit in observationem coelibatus.

Saeculo sexto florere coeperunt in Ecclesiis Hispaniae scholae episcopales dictae, summoque emicarunt nitore; atque multi pueri jam ab ipsa paene infantia ab eorum parentibus oblati, atque hujuscemodi scholis contraditi fuerunt, ut ecclesiasticas discerent disciplinas et, completis annis, sacros susciperent ordines. Hinc necessario decrescere debuit numerus hominum, qui sacris se devovebant altaribus, matrimonio ligati; et consequenter evenit, ut coelibatus observatio a clericis uxoribus unitis, in meliorem statum revocata fuerit.

Videamus nunc, quae fuerit vivendi ratio istorum clericorum, qui ab ipsa infantia sacris ministeriis fuerunt dicati, et coelibes ordinibus sacris dederunt nomina. Ad pleniorem rei

---

1. Mansi, v. IX, col. 941-942.
2. Circa ea, quae ad Galliam attinent, cf. E. Vacandard, op. cit., p. 110.

intelligentiam necessarium vel saltem valde conveniens existimo quasdam praemittere notiones circa has scholas episcopales disciplinamque quam juvenes clerici observare debebant.

II.

Scholae episcopales.

Acta martyrii S. Vincentii aiunt: «qui a pueritia stu»diis litterarum traditus, superna providente clementia, quem »sibi eum praevidebat vas electionis futurum gemina scientia »sub beato Valerio Caesaraugustae civitatis antistite claruit.» [1]. Antiquissima ergo fuit consuetudo in Hispania mittendi filios ad domum episcopi, ut ibi scientiis vacarent ecclesiasticis ac deinde sacros susciperent ordines. Nescitur qualis fuit origo hujus consuetudinis, neque harum scholarum vicissitudines ac existentia usque ad saeculum sextum. Ab initio autem hujus saeculi cum jam Gothi in Hispania sedem fixissent, atque firmam pacem cum victis fecissent, numerus horum puerorum, qui a suis parentibus Ecclesiae tradebantur, ita crevit, ut Concilium Toletanum II anno 531 de eis agere, eorumque institutionem determinare, necessarium duxerit. [2]. Concilium videtur supponere in unaquaque dioecesi talia collegia, si ita dici potest, existere; prohibet enim absolute eos, qui in una dioecesi instructi et formati fuerant, ad aliam transire. [3]. Aliquae harum scholarum summa celebritate potitae fuere. Inter alias eminuit schola Hispalensis a S. Leandro moderata, ubi S. Isidorus et Claudius dux, S. Leandro magistro, litteris vacarunt. Ad culmen celebritatis pervenit, regente eam S. Isidoro. [4]. Ex ea exierunt discipuli, ut S. Ildephonsus

---

1. Cf. Florez, «España sagrada», v. VIII, p. 231.
2. Cf. Concilium Tolet. II, can. I et II; Mansi, v. VIII, col. 785.
3. Cf. Ibidem, can. II, Mansi ibidem; et Concilium Hispalense II, anno 617, can. III; Mansi, v. X, col. 557-548.
4. En quid de ista schola dicit auctor «Vitae S. Isidori», canonicus quidam regularis Coenobii Legionensis sancti Isidori, probabiliter Lucas

Toletanus Episcopus et S. Braulio Caesaraugustanus. In dioecesi Emeritensi fuit alia, ex qua episcopi magni nominis et sanctitatis prodierunt. De ea fuse scribit Paulus, Diaconus Emeritensis [1]. Massona et Felix, Emeritae Episcopi in ipsa disciplinis vacarunt ecclesiasticis Denique S. Fructuosus didicit disciplinas ecclesiasticas in Schola Toletana sub regimine Conantii Episcopi [2]. Alios pueros studiorum comites cum ipso fuisse deducitur ex «Vita S. Fructuosi» a suo discipulo Valerio scripta [3].

Hi juvenes clerici cuidam regulae vitae subjecti erant; et episcopi has scholas instituerunt et has vitae regulas eis imposuerunt, tum ut illi in scientiis et ecclesiasticis disciplinis proficerent, tum ut virtutes moresque consequerentur ecclesiasticos.

Concilium II Toletanum (531); can. I, statuit rationem et

Episcopus Tudensis, (saec. XIII) cap. V: «Circa clericorum vero et scholarium clericorum curam ita sollicitus erat, ut ex ipsa vehementi invigilantia singulorum patrem probarent. Parum enim sibi videbatur vicinis clericis scholaribus providere, quin etiam undique vocaret ut magis haberet, quibus sua impertiretur beneficia, quos per se ipsum in sanctarum Scripturarum paginis erudiret et temporalibus alimoniis provideret. Concurrebant ergo clerici, tantum patrem non solum videre, verum audire sitientes; qui benignissime patrio susceptos affectu hortabatur, ne ab eo prius discederent, quam in lege Dei edocti sibi et catholicae Ecclesiae profuturi clarescerent; et ut removeret ab eis materiam vacandi otio, extra Hispalensem civitatem mirae pulchritudinis exstruxit monasterium, a quo nulli scholari exeundi ante quadriennium licentia praebebatur. Quosdam autem eorum qui ditiores videbantur, et inesse recusabant ministerio, quos veritatis spiritu demonstrante, in Ecclesia Dei opere et sermone potentes futuros esse praevidebat, ne occasione comperta, vana quaeque per gyrovagationem meditando, mentem a studio revocarent, ferreis adstringebat compedibus. De quorum collegio sanctissimus quasi lucifer emicuit Ildephonsus, necnon et gloriosus Braulio, Caesar-augustanus Episcopus » Cf. Bollandistas, «Acta Sanctorum», v. 10, p. 336, (col. 2). Verum est hanc vitam nimis tarde fuisse scriptam et in saeculo, in quo critica cognita non erat, ideoque non multam mereri fidem. Tamen substantia facti scilicet, fuisse Hispali quamdam scholam, cui S. Isidorus maximas impendit curas, extra dubium est. Creditur vitam fuisse scriptam saeculo XIII. Ignoratur vero quis fuerit ejus auctor. Non pauci eam Lucae Tudensi Episcopo attribuunt.

1. Cf. Paulum Diac. Emeritensem, «Vita Patrum Emeritensium», cap. V et cap. IX; Migne, P. L., v. LXXX, col. 131-132 et col. 137-138 respective.

2. Cf. S. Valerium, «Vita S. Fructuosi», cap. I; Migne, P. L., v. LXXXVII, col. 461.

3. Cf. S. Valerium, ibidem.

disciplinam vivendi horum clericorum [1]. Concilium non determinat, in qua aetate ad domos episcoporum mitti poterant aut debebant. Eos valde juvenes receptos fuisse patet ex Paulo diacono Emeritense [2]. Statim post eorum admissionem clericalem accipiebant tonsuram et lectores constituebantur [3].

In hoc officio permanebant usque ad vigesimum aetatis suae annum [4]. Toto hoc tempore studiis scientiarum et disciplinarum eclesiasticarum vacabant [5], simulque in ecclesiis cathedralibus suis fungebantur officiis et ministeriis sub diretione Primicerii. [6]. Regimen harum scholarum cuidam praeposito erat commissum sub inspectione episcopi. Praepositus erat ab ipso Episcopo electus. Decimo octavo aetatis anno completo interrogabantur praedicti clerici, populo et clero praesentibus, utrum statum clericalem, vel statum conjugalem eligere vellent. Illi qui clericali militiae adscribi voluerint «post duos adhuc probationis annos», ut ait Concilium, ad subdiaconatus gradum erant admissi. Deinde cum vigesimum et quintum suae aetatis annum attigissent, examen coram episcopo subire debebant; si capaces et sufficienter instructi inveniebantur, diaconi ordinabantur et cuidam ecclesiae adscribebantur. Tunc vitae collegii finem dabant [7].

Clerici illi, qui interrogationis tempore statum elegerunt matrimonii, non erant perpetuo a clericatu exclusi; poterant enim deinde continentiam promittentes, ad sacros ascendere gradus; ita definit Concilium, «ita ut cum perfectae aetatis

---

1. Mansi, v. VIII, col. 785.
2. Cf. Paulum diaconum Emeritensem; «Vita patrum Emeritensium», cap. I; Migne, P. L., v. LXXX, col. 117-122.
3. Mansi, v. VIII, col. 785.
4. Mansi, ibidem.
5. Mansi, ibidem.
6. Cf. S. Isidorum, Epist. ad Leudofredum Episc., n.º 13; Migne, P. L., v. LXXXIII, col. 896. «Ad primicerium pertinent acholyti, et exorcistae, psalmistae atque lectores, signum quoque dandum pro officio clericorum, pro vitae honestate, et officium meditandi et peragendi sollicitudo. Lectiones, benedictiones, psalmorum laudes, offertorium et responsoria quis clericorum dicere debeat; ordo quoque et modus psallendi in choro pro solemnitate de tempore;... clericos quos delinquere cognoscit, iste distringet; quos vero emendare non valet, eorum excessus ad agnitionem episcopi defert...»
7. Mansi, v. VIII, col. 785.

»in conjugio positi, renuntiaturos se pari consensu operibus »carnis spoponderint, ad sacros aspirent gradus» [1].

Concilium severissime vetat «ne qui de his qui tali educa»tione imbuuntur, qualibet occasione cogente, propriam re»linquentes ecclesiam, ad aliam transire praesumant» [2].

Difficilius est determinare quibus scientiis hi juvenes vacabant. Certum est eos clericorum officia et ministeria didicisse ut Sacrificii celebrationem, officii divini recitationem, sacramentorum administrationem; «Concilium Tolet. VIII (663) »decernit ut nullus cujuscumque dignitatis ecclesiastici per»cipiat gradum, qui non totum psalterium vel canticorum »usualium et hymnorum, sive baptizandi perfecte noverit »supplementum» [3].

Paulus Diaconus scribit Fidelem, Episcopum Emeritensem, a pueritia in his scholis esse edoctum, «atque infra paucorum »curricula annorum omne officium ecclesiasticum omnemque »bibliothecam Scripturarum divinarum perfectissime didi»cisse» [4]; praedicti igitur clerici praecipue studio Scripturarum operam dederunt. Certum est eos etiam auctores gentiles legisse, grammaticam aliasque scientias didicisse; aliqui enim eorum valde periti fuerunt, atque diversis instructi disciplinis [5].

---

1. Mansi, ibidem.
2. Mansi, ibidem.
3. Cf. Concilium Tolet. VIII, can. VIII; Mansi, v. X, col. 1218.
4. Cf. Paulum Diaconum Emeritensem «Vita patrum Emeritensium», can. V; Migne, P. L., v. LXXX, col. 132.
5. Praeter has scholas episcopales erant et aliae scholae, in quibus pueri primas litteras didicebant, et quae a clericis vel monachis regebantur, ut schola Cauliana prope Emeritam monachis monasterii Caulianensis commendata; (Cf. Paulum Diaconum Emeritensem, op. cit., cap. II; Migne, P. L., loc. cit., col. 123.

Gymnasia scholaeque publicae destructae fuere tempore invasionis Visigothorum. Pérez y Pujol circa hanc destructionem scribit: «¿Cuándo y cómo acabaron su existencia las enseñanzas del Estado? No es fácil decirlo más que por aproximación. Sidonio Apolinar contemporáneo de Teodorico II y de Eurico (452-483), dice aún de la famosa escuela de Córdoba: «Corduva praepotens alumnis». Y sin embargo, unos treinta años después, en 506, el Breviario de Alarico omite todos los títulos y leyes del Código Teodosiano relativos á los escolares, á los profesores y á la enseñanza: prueba indirecta de la desaparición de las escuelas oficiales, que, a nuestro juicio, fué una consecuencia del cambio produducido en el Estado y especialmente en el régimen municipal, por la conquista.» (Cf. Pérez y Pujol, «Historia de las instituciones sociales de la España Goda», v. III, p. 490-491, Valencia, 1896.)

A. Bonilla addit: «Desaparecieron, pues, casi en su totalidad las escue-

Paucis verbis indicatae sunt, tum modus ratioque vivendi juvenum clericorum, tum disciplinae sive ecclesiasticae sive profanae, quibus vacabant. Nemo negare potest haec juvenum collegia magnum progressum indicare, multaque bona attulisse. Fatendum enim est institutionem horum collegiorum inter alia multum favisse introductioni coelibatus ecclesiastici. Numerus enim clericorum uxores habentium valde decrevit; episcopi, (ut justum et consentaneum erat,) praeferebant eos clericos ordinare, qui a juventute disciplinis vacarunt ecclesiasticis. Facilius autem erat obligare et imponere coelibatum clericis, qui non erant matrimonio juncti, eosque a fornicatione et immunditia avocare, quam clericos uxores habentes, a conjugali consuetudine separare. Praeterea isti poterant aliquam rationem invocare, ad suam incontinentiam defendendam, nempe jura matrimonii, et forsitan exempla antecessorum; illi vero nullo praetextu poterant suam luxuriam dissimulare.

III.

Ratio vel modus vivendi clericorum in parochiis.

Postquam in supradictis dictum fuit de ratione vitae disciplinaeque, quibus imbuebantur juvenes statui ecclesiastico destinati, perspicuitas ordoque narrationis expostulat, quaedam addere circa eorum mores agendique modum, quum jam susceptis sacris ordinibus, ad muneribus ecclesiasticis fungendum, in Ecclesias missi erant.

Duo erant clericorum ordines in Ecclesiis Hispaniae tempo-

---

las del Estado, pero subsistieron las eclesiásticas, donde recibian educación clérigos y legos. Las había de instrucción primaria como la del monasterio de Cauliana.. y de enseñanza superior. Estas últimas, dirigidas por los Obispos en las Catedrales y por los Abades en los monasterios, servían especialmente para los teólogos y canonistas, porque, sin duda, la enseñanza práctica de las profesiones liberales era privada.» Cf. A. Bonilla y San Martin. «Historia de la Filosofía española desde los tiempos primitivos hasta el siglo XII», p. 235-236, Madrid, 1908.

Juxta horum auctorum opinionem unicae scholae quae tempore Visigothorum exstiteunt, fuerunt ecclesiasticae.

re Visigothorum, sicut duo etiam erant ecclesiarum ordines; ecclesiae scilicet cathedrales, in quibus episcopi residebant, et quorum regimen ipsimet immediate tenebant; et ecclesiae dioecesanae vel parrochiae, quas presbyteri sub episcopi dependentia regebant [1].

Clerici ecclesiae cathedrali adscripti, nomine «clericorum ecclesiae cathedralis» designabantur, alii vero nomine «clericorum ecclesiae dioecesanae» [2]; vel etiam «clerici parrochitani», appellabantur [3].

Clerici ecclesiis cathedralibus mancipati victum, vestitum atque stipendia ab episcopis accipiebant [4]; «dioecesani» vero, vel «parrochitani» ex eleemosynis et oblationibus, quas fideles christiani suis dabant ecclesiis, et ex bonis, quae ipsi fideles erigentes ecclesiam, in ipsa erectione ecclesiae tribuebant [5].

Clerici generatim simul habitabant et communem agebant vitam. Clerici ecclesiae cathedralis in domo episcopi, clerici ecclesiarum dioecesanarum in domo parochiae. Ita inferri vi-

---

1. Cf. Concilium Tarraconense I (516) can. XIII: «Epistolae tales per fratres a metropolitano sunt dirigendae, ut non solum a cathedralibus ecclesiis presbyteri, verum de dioecesanis ad Concilium trahant...», Mansi, v. VIII, col. 543.
2. Cf. ibidem.
3. Cf. S. Isidorum, Epist. ad Leufredum, n. 11 ubi ait de archidiacono: «Sollicitudo quoque parrochitanorum, et ordinatio et jurgia ad ejus pertinent curam.» Et n. 15: «Epistolas episcopi pro diebus jejuniorum parrochitanis per ostiarios iste dirigit.» Migne, P. L., v. LXXXIII, col. 896.
4. Cf. Concilium Valentinum (524), can, II, Mansi, v. VIII, col. 620-621; S. Isidorum epist. cit. n. 15; Migne, ibidem, col. 897.
5. Tum eleemosynas et oblationes fidelium, tum bona quae erectores seu fundatores ecclesiae istis in ipsa fundatione tribuebant, fuisse duos fontes, ex quibus hauriebantur stipendia clericorum in eadem ecclesia servientium, patet ex Concilio Tolet. (597) can: II. «Id etiam placuit Dei sacerdotibus ne quisquam antistes infra suam parochiam Dei aulam inquirat; et munificus ille qui sanctam Dei aedificavit ecclesiam, quod ibidem pro suo herede largitus est, eodem loco presbyter secundum priorum canonum instituta deserviens, habeat. Et si presbyterum ea facultas non permittit, vel diaconus instituatur. Certe si minor est census, ostiarius a sacerdote sit electus»... Mansi, v. X, col. 478; et ex Concilio Braccarense II can. XXI: «Item placuit ut si quid ex collatione fidelium aut per festivitates martyrum, aut per commemorationem defunctorum offertur apud unum clericum fideliter colligatur; et constituto tempore semel aut bis in anno inter omnes clericos dividatur: nam non modica ex ipsa inaequalitate generatur discordia, si unusquisque in sua septimana, quod oblatum fuerit sibi, defendat.» Mansi, v. IX, col. 779-780.

detur ex Concilio Gerundense (517), ubi prohibetur cohabitatio mulierum solummodo his clericis, qui familiarum domorumque domini erant, et his qui uxores habebant. Permittit tamen supradictis clericis cum mulieribus et uxore habitare, sub conditione retinendi secum quemdam alium clericum, qui eorum vitae testis sit. De cohabitatione caeterorum clericorum et mulierum nihil dicit. Silentium hoc et praeceptum retinendi secum alium clericum impositum clericis, qui ratione familiae soli commorari debebant, manifestant caeteros clericos simul habitare, et hac de causa eos neque prohibitione neque fratre teste indigere [1]. Concilium Toletanum IV (633), can. XXIII aperte supponit clericos ecclesiae cathedralis generatim simul commorari; ait enim: «Non aliter placuit, ut »quemadmodum antistes, ita presbyteri atque levitae, quos »forte infirmitas aut aetatis gravitas in conclave episcopi ma»nere non sinit, ut idem in cellulis suis testes vitae habeant, »vitamque suam, sicut nomine, ita et meritis teneant» [2].

Dictum est generatim clericos simul habitare, non tamen dictum est eos omnes absolute ita vixisse. Non pauci enim ab hac communi habitatione erant liberi. Concilium Gerundense (517) eximit ab ea clericos, qui uxores habebant [3], et eos qui familiarum domorumque domini erant [4]. Concilium Tolet. IV (633) clericos infirmos aut senes [5]. Praeterea multae ecclesiae parrochiales pauperes erant, suisque redditibus et eleemosynis fidelium, presbyteros et diaconos multos non poterant alere et sustentare. Sic erant ecclesiae, in quibus unicus solummodo presbyter, multoties diaconus quidam tantum, et non raro ostiarius residebat [6]. Ii igitur nullo modo poterant simul habitare communemque agere vitam. Illi ergo qui simul commorabantur, erant clerici ecclesiae cathedralis et clerici ecclesiae dioecesanae, in quibus plures degebant.

1. Cf. Concilium Gerundense, can. VI et VII; Mansi, v. VIII, col. 549-550.
2. Cf. Concilium Tolet. IV, can. XXIII; Mansi, v. X, col. 626.
3. Cf. Concilium Gerundense, can. VI; Mansi, v. cit., col. 549.
4. Cf. Concilium Gerundense, can. VII; Mansi, loc. cit. col. 549-550.
5. Cf. Concilium Tolet. IV, loc. cit.; Mansi, loc. cit.
6. Constat ex multis Conciliis. Cf. e... g... Concilium Tolet. (597), can. II; Mansi, v. X, col. 577-578.

Haec assertio omnibus attente legentibus concilia Hispaniae et opera S. Isidori, certa et evidens apparebit.

Concilium Tarraconense I (516) determinat modum, quo clerici porrochitani in his ecclesiis officium et ministerium perficiant: «De dioecesanis ecclesiis vel clero id placuit definire, »ut presbyteri vel diaconi qui inibi sunt constituti, cum cleri»cis septimanas observent; id est ut presbyter unam faciat »hebdomadam; qua expleta succedat ei diaconus similiter; »ea scilicet conditione servata, ut omnis clerus die sabbato »ad vesperam sit paratus, quo facilius die dominico solemni»tas cum omnium praesentia caelebretur; ita tamen ut omni»bus diebus vesperas et matutinas celebrent» [1].

Post ea quae dicta sunt facile est intelligere quinam clericorum magis expositi fuerint cohabitationi mulierum, et contra quos praecipue concilia punitiones et anathemata direxerint, contra illos scilicet qui soli commorabantur, sive quia ecclesia pauper erat, sive quia «familias domi habebant» et earum domini erant. Notatione dignum est fere omnia concilia cohabitationem condemnantia, de mulieribus vel ancillis, vel libertis loqui.

IV

Coelibatus clericorum qui matrimonio soluti erant.

Praeprimis affirmare opus est clericos hos non fuisse secutos vestigia eorum qui uxoribus erant vincti. Tenax obstinataque fuit decertatio inter episcopos coelibatus jura propugnantes, clericosque inobedientes [2]. Omnia concilia, quae

---

1. Cf. Concillim Tarraconense, can. VII; Mansi, v. VIII, col. 542.

2. Ne aliquis in errorem ducatur, advertendum est hanc affirmationem non adeo stricte et absolute sumendam esse, ut asseratur eos solummodo clericos, de quibus agitur, frena incontinentiae laxasse, caeteros vero castitatis tantum dedisse exempla. *Merito suspicari potest hujus criminis* reos etiam inter vinclo jugali sociatos inventos fuisse. Quomodocumque se habuerit res, tenendum est: a) nos nullam habere cognitionem commercii carnalis clericorum cum uxoribus; b) non raro clericos suspecta cohabitatione notatos fuisse; c) majorem horum partem fuisse

saeculo sexto in Hispania locum habuerunt, iterant atque iterant praescriptiones circa clericorum et mulierum cohabitationem, unumquodque eorum gravioribus eos plectit poenis; atque eo processerunt, ut Concilium Hispalense I judicibus saecularibus facultatem tribuerit vendendi in suis lucris feminas crimine cohabitationis complices [1]; quod quidem demonstrat clericos perseverasse in illicitis consortiis ferme usque ad finem saeculi sexti, non obstantibus episcoporum conatibus. Solummodo circa finem saeculi sexti, id est, post reditun Visigothorum ad Ecclesiae sinum, conciliorum leges suum sortitae fuerunt effectum, ut postea dicetur.

Facile quidem non erat clericis incontinentibus matrimonium etsi simulatum pertentare. Concilia raro agunt de clericis matrimonium contrahere conantibus; imo neque accusant eos directe de incontinentia, sed tota in eo sunt ut cohabitationem impediant atque eradicent. Ex his quasdam possumus eruere corollaria:

a) Memoratos clericos externo respectu reverentiaque coelibatus legem prosecutos fuisse; non enim poterant concilia eorum incontinentiam eis aperte objicere [2].

b) Concilia in suspicionem venisse clericos inobedientes incontinentiae reos fuisse.

c) Clericos hujusmodi non vindicasse sibi jus libertatemque matrimonium contrahendi, ut eam vindicarunt clerici oppugnatores coelibatus in saeculo quarto, sed practice se fornicationi et luxuriae dedisse, quod non solum eis, sed etiam ipsis laicis prohibitum erat.

Reliquum est, ut paucis exponamus, quaenam fuerint mulieres quarum separatio a clericis, ita cordi conciliis fuit.

Hujusmodi mulieres erant magna ex partae ancillae, quae

---

eorum, qui coelibes sacros ingressi fuerunt ordines, ut consequitur ex quibusdam conciliis; et praeterea non est verisimile clericos, qui conciliorum praeceptis obsecuti fuerunt et cohabitationi uxorum nuntium dederunt, mulieribus extraneis se adjungere voluisse contra ipsorum conciliorum canones.

1. Mansi, v. X, col 450-451.

2. Concilium Oscense, (598) can. II loquitur de clericis incontinentibus, «qui per publicam operationem minime se convinci garriant; sed probatae vitae se vixisse». Mansi, v. X, col. 481-482.

clericorum servitio erant mancipatae. Omnia concilia cohabitationem damnantia, has indicant atque designant, excepto Concilio Ilerdense quod tantum «familiaritatem extranearum mulierum prohibet, quin determinet an «ancillae», an «ingenuae» fuerint [1]. Fuerunt etiam quaedam sic dictae «libertae», quae scilicet, prius ancillae mancipiaque in domibus clericorum cum essent, libertatem consecutae fuerant, quin se ab illicito consortio cum suis dominis removerent [2]. Denique non defuerunt etiam «ingenuae», scilicet, mulieres quae nunquam fuerunt in servitutem redactae, ut testantur plura concilia.

Clarissime itaque cernitur illud malum «agapetarum» vel «subintroductarum pestim» quondam a S. Hieronymo appellatum, quod jam a primordiis Ecclesiae serpere, atque suas radices per totam Ecclesiam extendere coepit, innumera damna stipendiaque nomini atque dignitati plurimorum Ecclesiae Hispaniae clericorum intulisse.

Nemo non videt existere tamen quandam diversitatem inter primaevam illam cohabitationem, et eam, de qua nunc est quaestio. Hoc scelere alligatae in primis Ecclesiae saeculis fuerunt virgines, viduaeque Deo dicatae magna ex parte, adeo ut ferme quemdam diversum efformarent statum *subintroductarum* nomine designatum, ut dictum est; nunc vero non sunt mulieres Deo dicatae, neque servitio Dei mancipatae, sed vel «ancillae», ideoque servitio clerici astrictae, vel »libertae», vel «ingenuae». Sanctimoniales, ut appellabantur feminae Deo dicatae, in monasteriis erant congregatae communique vivendi modo subjectae [3]. Harum igitur cohabitatio cum clericis non erat possibilis.

1. Cf. praeter alia Concilium Tolet. II, can. III; Mansi, v. VIII, col. 785.
2. Ibidem.
3. Videtur aliquam similitudinem affinitatemque cum antiqua habuisse quamdam consuetudinem in Gallecia conservatam et ex Priscillianismi influxu creatam. Eam damnavit Concilium Bracarense II dictum, can. XV: «Si qui clericorum vel monachorum praeter matrem, aut germanam, vel thiam, vel proximam sibi consonguineam; alias aliquas adoptivas feminas secum retinent, et cum ipsis cohabitant, sicut Priscilliani secta docuit, anathema sit. Circa hoc Concilium cf. Hefele, Conciliengesch. (ver. gallica), v. III p. 175-176.

Haec clericorum incontinentiae dedita vita nullam certe habuit excusationem, habuit tamen causas, quae ad ejus relaxationem contulerunt. Nemini dubium est institutionem creationemque scholarum episcopalium, de quibus verbum fecimus, rem optimam fuisse, opimosque produxisse fructus; nemo tamen non videt institutionem et educationem puerorum in memoratis schclis perfectam a tenera aetate, magnas habuisse difficultates; et hujusmodi institutio fuit relaxationis causa non quidem directa, sed indirecta. Multi enim hujusmodi puerorum, nullam habentes divinam vocationem, ab ipsis parentibus Ecclesiae tradebantur, et non pauci in tenerrima adhuc aetate constituti. Concilium Toletanum X testificatur fuisse admissos in his scholis pueros, qui tantum decimum aetatis suae annum attigerant; imo non defuerunt, qui priusquam in lucem editi fuerint, parentum voto Deo et statui clericali dedicati fuere [1].

Verum quidem est hos pueros, cum ad discretionis pervenerint annos, liberos fuisse aut tonsuram et clericalem habitum induendi, aut laicorum sumendi vestem [2]. Sed evidens compertumque omnibus est, parentum metum, rationem vitae jam perfectam atque dedecus tali mutationi adnexum eos omnimoda libertate privavisse.

Alia ex parte hi clerici communem agebant vitam intra claustra domus episcopalis recepti, atque a laicis segregati. Postquam vero ad vigesimum quintum aetatis annum perveniebant, diaconatus suscipiebant dignitatem et servitio cultuique peculiaris ecclesiae adscripti erant, in quibus non raro commorabantur soli, periculis undequaque circumventa eorum virtus praesertim continentia.

Hoc non esse mentis commentum probatur ex Concilio Toletano VIII, can. VII, dicente: «Quosdam enim aut eventu »necessitatum, aut metu periculorum adeptos fuisse novimus »ecclesiasticarum officia dignitatum, et cum illis haec impo»nerentur, id sibi fieri noluisse testantur...» [3].

---

1. Cf. Concilium Toletanum X, Mansi; v. XI, col. 36-37.
2. Cf. Concilium Toletanum II, can. I; Mansi, v. VIII, col. 785.
3. Mansi, v. X, col. 1217-1218.

V

Media ab episcopis desumpta ad cohabitationis periculum vitandum.

Vita et habitatio communis clericorum, de qua locuti sumus, erat omnium mediorum optimum ad pericula praecavenda, ipsamque cohabitationem mulierum impediendam et evitandam. Episcopi vero quaerunt adhuc alia media pro illis saltem, qui soli commorabantur. Nolunt enim ullum praetextum relinquere clericis inobedientibus, ad suum agendi modum defendendum.

Videmus itaque concilia et episcopos magno ardore et studio correctioni et emendationi clericorum operam dare; severissimis poenis dissidentes atque inobedientes constringunt, istorum reclamationes et difficultates audiunt, et solvere conantur, non raro eos in suis parochiis visitant et examini subjiciunt.

Omnia media ab episcopis et conciliis adhibita ad praedictam cohabitationem delendam et ex Ecclesiis Hispaniae eradicandam, ad tria genera reducuntur. Conantur enim evitare difficultates, quae ex hac separatione oriebantur, et vices harum mulierum in servitio domestico supplere student; frequenter inculcant, aut in memoriam clericis revocant obligationem perpetuae continentiae, et denique severissimis sanctionibus delinquentes puniunt. Ea omnia breviter percurramus.

Negari non potest clericos inobedientes habuisse quandam causam ad impletionem et observantiam dictarum praescriptionum fugiendam. Haec causa, seu potius excusatio, fuit necessitas habendi aliquam feminam, quae curas domesticas perageret. Illam multoties invocatam fuisse patet ex multis conciliis, et quidem dicere debemus eam prima fronte magnam speciem veri habere. Hac de causa concilia eam non spernunt et hanc difficultatem solvere curaverunt.

Concilium Gerundense (517) permittit illis clericis, qui matrimonii vinculo erant ligati, cum suis uxoribus in eadem do-

mo habitare, sed tamen sub conditione habendi secum alium clericum qui vitae suae testis esse possit [1]; eis vero qui familiarum domini erant, permittit retinere illas feminas, quae familiam constituebant, sub duabus conditionibus; sicut praecedentes debebant secum quemdam clericum habere, et praeterea ejus mater, vel soror, et iis deficientibus, puer, vel amicus suam domum gubernare debebant, non autem aliqua mulier extranea [2]. His regulis Concilium judicavit quaestionem solvere posse et pericula cohabitationis vitare.

Concilium Tolet. II (531) non fuit ejusdem opinionis. Id necessariam censuit separationem absolutam istarum personarum. Prima solutio quaestionis semper est eadem: «hujusmo»di servitia matri vel sorori aliaeque propinquitati contra»dant» [3]. Si propinquitas memorata deerat, illa servitia poterant ab aliis mulieribus peragi, sed tamen «alia domus ad »earum habitaculum quaerenda erat; et nulla occasione introi»tus domus clerici feminae permittendus» [4].

Probabile est caetera concilia eandem viam secuta fuisse; et mulieres curas domesticas peragentes, aliam domum habitare fecisse, etsi aperte de re nihil dicant.

Saepe locuti sumus de can. I Concilii Tolet. II, ubi praescribitur: «ut voluntas clericorum juvenum de expetendo »conjugio ab episcopo perscrutetur, priusquam illi decimum »octavum aetatis suae annum compleverint [5]».

Supradicti juvenes promittebant eodem tempore se castitatem servaturos fore: «Quibus si gratia castitatis, Deo in»spirante, placuit, et professionem castimoniae suae, absque »conjugali necessitate se spoponderint servaturos. . [6]» Imo adhuc post hanc publicam promissionem duos annos probationis transire debebant [7]. Patens est quid episcopi impedire peroptabant: «Cavendum est his ne quando suae sponsio-

1. Cf. Concilium Gerundense, can. VI; Mansi, v. VIII, col. 549.
2. Cf. ibidem, can. VII; Mansi, v. cit., col. 549-550.
3. Cf. Concilium Tolet. II, can. III; Mansi, v. VIII. col. 785-786.
4. Cf. Concilium Tolet. II; Ibidem.
5. Mansi, v. VIII, col. 785.
6. Ibidem.
7. Ibidem.

»nis immemores, aut ad terrenas nuptias aut furtivos concubitos recurrant [1]».

Clerici qui in majori periculo cum mulieribus cohabitandi atque cum eis prohibitam consuetudinem habendi versabantur, erant illi ecclesiarum parochiarum soli in oppidis degentes. Et certe hoc periculum vigiles episcoporum oculos non fugit. Hac de causa peculiares regulas et praescriptiones eis imposuerut. Concilium Bracarense III (572), can. I jubet episcopos suarum dioecesum [2] canonicam visitationem facere, et concilium Tolet. IV (633) determinat, ut ea singulis annis locum habeat [3]. Idem Concilium statuit etiam in can. XXVIII: «Quando presbyteri vel diaconis per parochias constituun»tur, oportet eos primum professionem episcopo suo facere, »ut caste et pure vivant sub Dei timore: ut dum eos talis pro»fessio religat, vitae sanctae disciplinam retineant [4]».

Aliud remedium, quod concilia adhibuerunt ad hanc cohabitationem vitandam, fuerunt poenae severissimae, quibus praescriptiones sanxerunt. Vidimus hanc cohabitationem jam in saeculo quarto frequenter a conciliis prohibitam fuisse. Nullam autem punitionem haec concilia determinarunt, neque Concilium Illiberitanum, neque Ancyranum, neque Nicaenum; et tamen omnia cohabitationem prohiberunt, ut dictum est [5]. Eamdem prohibitionem renovant S. Siricius [6] et Concilium Carthag. III (397) [7], quin ullam statuant sanctionem. Concilium Arelatense in Gallia (452) fuit primum, quod excommunicationem transgressoribus imposuit [8], ejusque exemplum secutum fuit Concilium Turonense (461) [9]. Concilio Andegaven-

1. Ibidem.
2. Mansi, v. XI, col. 838-839.
3. Cf. Concilium Totet. IV, can. XXXVI; Mansi. v. X, col. 629.
4. Ibidem, Mansi, v. X, col. 627. Ex canone XXVI infertur presbyteros qui in parochiis erant constituti, singulis annis tempore concilii aut *litaniarum* debere se coram episcopo sistere, et examen subire quomodo suum officium impleverint. Mansi, v. X, col. 627. Cf. etiam Concil. Oscense (598), can. I praesertim; Mansi, v. X, col. 482.
5. Cf. cap. I parag. VIII, p. 37, hujus opusculi.
6. Cf. S. Siricium, Epist. ad Himerium, cap. XVII; Migne, P. L., v. XIII, col. 1144.
7. Cf. Concilium Carthag., III (397), can. XVII; Mansi, v. III, col. 922.
8. Cf. Concilium Arelatense, can. III; Mansi v. VII, col. 879.
9. Cf. Concilium Turonense, can. III; Mansi, v. VII, col. 945.

si vero (455) satis fuit prohibere transgressores ad altiorem ascendere gradum [1].

Primum Concilium Hispanum, quod post Illiberitanum (Concilium) de cohabitatione loquitur, et cohabitantibus punitionem imponit, est Concilium Ilerdense (324) [2].

Sanctio ab eo statuta non apparet nimis severa, sic enim episcopi se exprimunt in can. XV: «Familiaritatem extranea»rum mulierum, licet ex toto sancti Patres antiquis monitio»nibus praeceperint ecclesiasticis clericis evitandam, id nunc »tamen nobis visum est, ut qui talis probabitur, si post primam «et secundam monitionem se emendare neglexerint, si in vitio »perseverat, officii sui dignitate privetur, quod si Deo juvante »correxerit, sancto ministerio restauretur» [3].

Concilium Toletanum II, (531) can. III, severiorem imponere poenan inobedientibus necessarium duxit: «Sane si post »datam hanc monitionem, quisque earum consortio frui volue»rit: non solum a clericatus officio retrahi, vel ecclesiae fori»bus pelli; sed etiam ab omnium catholicorum clericorum vel »laicorum communione privari; nulla prorsus vel colloquii con»solatione relicta [4]». Clericus igitur transgressor non solum depositus a suo gradu et a communione suspensus, sed et

---

1. Cf. Concilium Andegavense, can. IV; Mansi, v. VII, col. 901. Revera etiam Concilia Agathense et Aurelianense de hac quaestione loquuntur, sed tamen primum suam prohibitionem nulla fulcit poena; et secundum, can. XXIX, in communi determinat: «circa familiaritatem ex»tranearum mulierum, tam episcopi, quam presbyteri, vel diaconi praete»ritorum canonum statuta custodiant.» Mansi, v. VIII, col. 326, et col. 356.

2. Cf. Concilium Tarraconense anno (516 ideoque prius Concilio Ilerdensi) sic loquitur can. I: «De his quibus cura pro parentelae proxi»mitate haberi permittitur, ut cautela earum necessitates sustentent; pie»tatis beneficia, quae eis sunt necessaria praebeant: ipsi vero pro visen»dis eis, cum ingressi fuerint, celeri salutatione recurrant, nec inibi fa»ciant mansionem: qui tamen cum ad earum visitationem pergunt, testem »solatii sui fide et aetate probatum adhibeat secum. Si quis haec a nobis »statuta contempserit; si clericus est, loci sui dignitate privetur; si vero »religiosus vel monachus in cella monasterii reclusus paenitentiae lamen»tis incumbat»... Mansi, v. VII, col. 541. Hic canon confirmat meam assertionem, scilicet, clericos generatim simul habitare communemque egisse vitam. Tamen non audeo hanc interpretationem ut certam et unicam dare. Probabile enim est (neque contextui opponitur) hoc in canone de sanctimonialibus verbum esse, et Concilium prohibere clericis eas frequenter et sine teste visitare.

3. Cf. Concilium Ilerdense, can. XV; Mansi, v.. VIII, col. 614.

4. Cf. Concilium Tolet. II, can. III; Mansi, v. VIII, col. 785-786.

ab Ecclesia ejectus erat et ab omni communicatione cum fidelibus privatus. Dura quidem et severa poena transgressoribus imponitur et quae manifeste declarat episcopos velle huic abusui finem imponere.

Dicendum tamen et neque hoc severo et duro medio episcopos correctionem et emendationem clericorum consecutos fuisse. Probabile est eos animadvertisse non tantum ipsos clericos, sed etiam mulieres cum eis cohabitantes, causam relaxationis et inobedientiae fuisse. Episcopi enim determinant eas severissime punire. Et certe quidem poena quam contra eas pronuntiat, etsi severissima et durissima, optimum omnium mediorum fuit, et quod necessario suum effectum consecutum fore, si episcopi id applicare vellent. Concilium Tolet. III praescribit: «Qui vero semper sub canone ecclessia»stico jacuerunt, si contra veterum imperata in suis cellulis »mulierum quae infamem suspicionem possunt generare, con»sortium habuerint; illi canonice quidem distringantur, mu»lieres vero ipsae ab episcopis venumdentur, et pretium ip«sarum pauperibus erogetur [1]». Clerici, ut patet, ab omnium catholicorum clericorum vel laicorum communione privati manebant. In manibus ergo episcoporum erat correctio et emendatio clericorum.

Denique Concilium Hispalense I., quibusdam episcopis decretum supradictum non observantibus, judicavit melius esse hoc medium in manibus judicis saecularis ponere, atque opinatur eum majori zelo quam episcopos, supradictam poenam transgressoribus applicaturum fore; et ad ejus zelum et aemulationem augendam, permittunt, «ut judices easdem mulieres cum voluntate et licentia episcopi comprehensas in suis lucris usurpent [2]».

En paucis verbis exposita media, a conciliis adhibita, ad vitium cohabitationis eradicandum. Priusquam huic capiti finem imponam, dignum judico aliquid de coelibatu Visigothorum arianorum indicare.

---

1. Cf. Concilium Tolet. III, can. V; Mansi, IX, col. 994.
2. Concilium Hispalense I, can. III; Mansi, v. X. col. 450-451.

VII.

Clerici ariani in Hispania coelibatum non observarunt.

Perpauca sunt testimonia, quae hodie habemus, ad historiam arianorum Visigothorum in Hispania pertinentia. Ea quae ad eorum continentiam pertinentsunt imprimis Concilium Toletanum III (589), can V: «Compertum est a S. Concilio, »episcopos, presbyteros et diaconos venientes ex haeresi, »carnali adhuc desiderio uxoribus copulari. Ne ergo de cae»tero hoc fiat, praecipitur quod et prioribus canonibus conti»netur, ut non liceat eis vivere libidinosa societate; sed ma»nente inter eos conjugali lege, communem utilitatem ha»beant, et non sub uno conclavi maneant, et certe si suffraga»tur virtus in alia domu suam uxorem habitare faciant; ut »castitas et apud Deum et apud homines habeat testimonium »bonum. Si quis vero post hanc conventionem obscene cum »uxore elegerit vivere, ut lector habeatur» [1].

Concilium Caesar-august. II, (592), etiam de hac re scribit can. I: «Id placuit sanctae et venerabili synodo, ut presbyteri »qui ex haeresi ariana ad sanctam catholicam Ecclesiam »conversi sunt, qui sanctam et puram fidem, atque castissi»mam tenuerint vitam, acceptam denuo benedictionem pre»sbyterii sancte et pure ministrare debeant: caeteri vero qui »hanc suprascriptam vitam adimplere neglexerint, ab officio »depositi sint in clero. Ita et de diaconibus, sicut et de pre»sbyteris, constitutum est» [2].

Haec sunt unica testimonia quae ad continentiam arianorum se referunt. Ariani igitur clerici non habuerunt eamdem legislationem ac catholici, atque illi qui incontinentes erant, juribusque utebantur matrimonii, contra nullam legem ecclesiae eorum egerunt. Non solum diaconi, sed et presbyteri et episcopi consuetudine usi fuerunt conjugali. Lex igitur coelibatus neque introducta neque observata ab eis fuit.

---

1. Cf. Concilium Tolet. III, can. V; Mansi, v. IX, col. 994.
2. Cf. Concil. Caesaraug. II, can. l; Mansi, v. X. col. 471.

Causae hujus inobservationis duae sunt, quae cum certitudine determinari possunt. Experientia teste, omnes sectae quae Romanae Ecclesiae terga verterunt, aut coelibatum impugnarunt, aut oblivioni et desuetudini tradiderunt eum.

Praeterea omnibus notum exploratumque est Visigothorum gentes ab Oriente venisse, eosque arianismum amplexos esse opere, studio, ac praedicationibus Episcopi Ulphilas. Ex alia parte vidimus jam coelibatum numquam fuisse in Ecclesiis Orientis communiter introductum, et saeculo quinto incipiente in multis harum Ecclesiarum in desuetudinem abiisse. Ariani cito eum rejecisse testatur G. Bickell [1].

Consuetudo clericorum Visigothorum continuum periculum clericis catholicis esse debuit. Mirum certe est catholicos in incontinentiae partes non fuisse raptos exemplo arianorum, et tamen, ut vidimus, coelibatus fuit ab omnibus publice saltem admissus et observatus.

Videamus nunc quae fuerunt coelibatus vicissitudines post Visigothorum conversionem, seu postquam periculum hoc et scandalum eradicatum fuit, atque ab eorum oculis remotum.

1. Cf. G. Bickell, op. cit., v. II, p. 62.

IV

Status coelibatus ecclesiastici a conversione Visigothorum usque ad eorum imperii eversionem (589-712).

I.

Coelibatus perfecta observatio in Hispania post Visigothorum conversionem.

Florentissimum coelibatus tempus in Hispania evenit post conversionem Visigothorum. Hoc tempore coelibatus ecclesiastici observatio viguit, et cohabitatio clericorum et mulierum ablata fuit. Ut videtur, curae studiaque episcoporum, praescriptiones et severissimae conciliorum sanctiones suum effectum consecutae fuerunt. Iam ipsum Concilium Toletanum III (589) et Hispalense I (590) nobis aliquam praebent ansam affirmandi clericos mulieres secum retinentes, non fuisse multos numero. Episcopi enim non auderent talem severissimam punitionem statuere, neque eam in praxim reducere, si multi essent clerici qui cum mulieribus ita commorabantur. Mulieres venundabantur [1], clerici vero ab Ecclesia erant ejecti [2]. Prohibita consuetudo altiores radices misit et majores difficultates suae extirpationi obtulit in provincia Betica, quam in aliis Hispaniae provinciis. Concilium enim Hispalense, anno 590 congregatum, necessarium duxit sequentem canonem stabilire: «Inter caetera vero cognoscite a nobis hoc »definitum pro abolendis maculis clericorum, quia quidam

1. Cf. Concilium Tolet. III, can. V; Mansi, v. IX, col. 994.
2. Cf. Concilium Tolet. II, can. III; Mansi, v. VIII, col. 786.

»episcoporum non observantes nuper edictum Concilii Tole-»tani decretum, minus solliciti in subjectis existunt; proinde »placuit, ut si presbyteri, diacones, vel clerici consortia extra-»nearum feminarum, vel ancillarum familiaritatem per sacer-»dotis sui admonitionem a se minus removerint; in secundis, »judices easdem mulieres cum voluntate et permissu episcopi »comprehensas, in suis lucris usurpent, ut vitium hoc dum »sacerdos inhibere non praevalet, potestas judicialis coer-»ceat, dato tamen ab iisdem judicibus sacramento episcopis, »ut eas clericis nulla arte restituant. Quod si restituerint, ipsi »judices sententia excommunicationis feriantur» [1]. E contrario in aliis provinciis Hispaniae, neque Concilium Narbonense anno 590 congregatum [2], neque Caesae-augustanum II anno 592 [3], neque synodus Toletana (597) [4], neque Concilium Oscense (598) [5], et Barcinonense (599) [6] de cohabitatione clericorum et mulierum mentionem aliquam faciunt; et tamen haec concilia fuerunt congregata, ad regulas in Concilio Toletano III (5b9) datas, in praxim reducendas. Silentium hoc ergo demonstrat in his provinciis talem cohabitationem disparuisse aut ante Concilium Toletanum III (589) jam, aut immediate post illud [7].

Hic status et observantia continentiae perduravit usque ad dimidium saeculum septimum circiter. Concilia quae per id tempus locum habuerunt, non loquuntur amplius de hac cohabitatione, neque de consuetudine clericorum cum suis uxoribus. Haec concilia fuerunt, Synodus Toletana (610), Concilium Egarense (614), Hispalense II (619), et Concilia Toletana IV (633), V (634), VI (638), VII, (646), VIII, (653) [8]. Haec

---

1. Cf. Concilium Hispalense I, can. III; Mansi, v. X, col. 450-451.
2. Cf. Concilium Narbonense; Mansi, v. X, col. 1013-1018.
3. Cf. Concilium Caesaraug., II; Mansi, v. X, col. 472-473.
4. Cf. Synodum Toletanam; Mansi, v. X, col. 477-478.
5. Cf. Concilium Oscense; Mansi, v. X, col. 479-483.
6. Cf. Concilium Barcinonense; Mansi, v. X, col. 481-483.
7. Probabilissimum est supradictam relaxationem etiam in provincia Betica, post jam citatum Hispalense Concilium, eradicatam fuisse, et judices saeculares magis sollicitos, quam episcopos fuisse in separatione et venditione harum mulierum, «poterant enim eas in suis lucris usurpare», ut ait Concilium.
8. Mansi, v. X, col. 612-643, 653-658, 659-672, 763-771, 1206-1227.

concilia suo silentio evidenter nobis testificantur regulas in praecedentibus conciliis datas atque praescriptas, perfecte saltem publice observatas fuisse. Episcopi qui tanto cum zelo et labore correctioni clericorum operam dederunt usque ad annum 578, ut dictum est, a laboribus objurgationibus et punitionibus certe, non destitissent si clerici a mala hac consuetudine non recessissent.

Praedictis affirmare nolo, nullum fuisse clericum per hoc tempus, qui continentiam et castitatem violaverit. Affirmatum est clericos matrimonio junctos usum matrimonii publice non fecisse; et sive coelibes, sive uxores habentes clericos cum mulieribus extraneis non commoratos fuisse. Singulares clericorum lapsus accidisse supponit Synodus Tolet. (597), quae pontificibus et episcopis in can. I suadet ut «sanctam et »amicam Dei castitatem non solum in suo corpore retineant, »sed et presbyteros et diaconos ministrantes Dei altaribus »modis omnibus observare constituant» [1]. Easdem clericorum defectiones existere suspicatur Concilium Oscense, dum severe determinat can. II: «Sollicitum etiam pro hac re unum»quemque nostrum esse convenit, ut curiosa indagine perqui»ramus, si presbyteris, diaconibus, subdiaconibus et clericis »pudica et casta vita sit. Quod si, quod absit, quidquam ma»lum de quoquam fama proloquitur, per veram et certissimam »clericorum probationem, vel virorum ammanuensium vel »certe illarum feminarum de quibus fama procurrit; atque »etiam diversis argumentis, ex quibus adulterorum indicia »certissime suspicari solent, omnia argutissime perquiran»tur; dum per publicam operationem minime se convinci ga»rriant; sed probatae vitae se vixisse, honestorum clerico»rum testimonio clarere demonstrent» [2]. Absque dubio, ad Concilii aures pervenerat fama fuisse clericos qui fornicationi indulgebant, hujus autem rumoris veritas demonstrari non potuit.

Concilium Tolet. IV (633) denuo separationem clericorum

---

1. Mansi, v. X, col. 477.
2. Mansi, v. X, col. 535.

et mulierum inculcat, videtur tamen in hoc canone agere de clericis minoribus [1].

Observatio ergo *publica* coelibatus praescriptionumque cohabitationem prohibentium viguit usque ad medium saeculum septimum, quo tempore denuo relaxatio propagata fuit ut in paragrapho sequenti videbitur.

II.

Nova generalis relaxatio coelibatus.

Saeculo sexto ad finem currente et septimo incipiente, legislatio circa coelibatum et circa cohabitationem clericorum et mulierum adeo completa et firma erat, ejus observatio ab omnibus clericis, episcopis, presbyteris, diaconis et subdiaconis adeo perfecta et generalis, ut jure et fundamento cogitari dicique potuisset, episcopos et concilia suum propositum suumque finem, id est, perfectam clericorum continentiam consecutos esse, atque coelibatum ecclesiasticum sine obstaculis, sine difficultatibus in futurum observandum fore [2]. Nemo praevideret, elapsis aliquot annis, inimicos coelibatus iterum insurgere, clericalem continentiam theoretice impugnandam, practice oblivioni tradendam esse. Et tamen res ita accidit.

Saeculo septimo mediante talis relaxatio serpere, talis inobservantia et contemptus coelibatus vigere coepit, ut clerici publice filios procreaverint [3]. Coelibatus lex in maximo periculo fuit in desuetudinem et oblivionem veniendi.

Hujus relaxationis et corruptionis testis est Concilium Tolet. VIII, anno 653. Duobus annis postea clerici incontinen-

1. Hoc constat ex duobus immediate sequentibus canonibus, qui evidenter de clericis minoribus agunt. Cf. Concil. Tolet. IV, can. XLII-XLIV, Mansi, v. X, col. 630.

2. Non asseritur quidem omnes clericos continentem duxisse vitam nullumque carnale lapsum evenisse; asseritur eos saltem in lucem non prodiise neque ad episcoporum pervenisse aures.

3. Cf. Concilium Tolet. IX, can. X, infra citatum.

tes suam depravatam consuetudinem prosequebantur. Canon Concilii Tolet. IX (655) clarus est et explicitus, omneque tollit dubium. «Cum multae super incontinentia ordinis cle»ricorum usque hactenus emanaverint sententiae Patrum, et »nullatenus ipsorum quiverit formari correctio morum, usque »adeo sententiam judicantium protraxere commissa culpa»rum, ut non tantum ferretur ultio in auctores scelerum, sed »etiam in progenies damnatorum. Ideoque quilibet ab episco»po, usque ad subdiaconum deinceps vel ex ancillae vel ex »ingenuae detestando connubio, in honore constituti filios »procreaverint, illi quidem ex quibus geniti probantur, cano»nica censura damnentur, prolis autem tali nata pollutione »non solum parentum hereditatem nusquam accipiat, sed »etiam in servitutem ejus ecclesiae, de cujus sacerdotis vel »ministri ignominia nati sunt, jure perenni manebunt» [1]. Relaxatio igitur non erat parvipendenda. Hujusmodi presbyterorum, episcoporum, diaconorum et subdiaconorum filii multi erant; perdiderant enim omnem pudorem; neque dedecus et ignominiam suam dissimulare curabant; e contrario suam originem manifestabant, ad paternam hereditatem adipiscendam, ut citatus canon supponere facit.

Ipsa auctoritas civilis negotio se admiscere debuit, suamque interponere potestatem, ad hanc relaxationem tollendam atque eradicandam [2].

---

1. Cf. Concilium Tolet. IX, can. X; Mansi, v. XI, col. 29.
2. Recesvintus Rex Visigothorum (549-672) hanc edidit legem contra clericorum incontinentiam.

«De immunditia sacerdotum et ministrorum. Quia quanto munditiam carnis sacra auctoritas imperat, tanto hanc adimplere ipsius ministros ejus clamor informat; ideo et nos ponere finem inlicitis ausibus rite compellimur, quoniam et ipsi divinis nutibus placere conamur. Igitur quemcumque presbyterum, diaconum atque subdiaconum devotae viduae poenitenti, seu cuicumque virgini vel mulierculae saeculari, aut conjugio aut adulterio commixtum esse evidentissime patuerit; mox hoc episcopus sive judex reperierint, talem commixtionem disrumpere non retardent. Redacto autem illo in sui pontificis potestatem, sub poenitentiae lamenta juxta sacros canones deputetur; quam districtionis severitatem si pontificum torpor implere neglexerit, idem pontifex duas libras auri fisco persolvat et commissum malum vindicare non differat. Quod si corrigere nequiverit aut concilium appellet, aut regis hoc auditibus nuntiet. Mulieres vero quae illis fuerint praedictis immunditiis implicatae, centenis flagellis a judice verberentur, et commiscendi se illis aditus omnino ne-

Relaxatio in observantia coelibatus hoc tempore fuit maxima omnium relaxationum, quae tempore Visigothorum acciderunt. Usque ad medium saeculum septimum episcopi condemnarunt cohabitationem clericorum et mulierum eorumque familiaritatem, et suspicantur jure quidem hanc cohabitationem hancque familiaritatem inhonestam tegere et dissimulare consuetudinem; nunquam tamen affirmarunt certe et clare hujusmodi clericos carnaliter peccare. Unde patet clericos hos suam vivendi rationem erubuisse, et saltem publice eos continentes apparuisse. Concilia autem hujus temporis scilicet medii saeculi septimi, ut Concilium Toletanum VIII, (653) can. IV, V et VI [1], Concilium Tolet. IX (655) can. X [2], Concilium Tolet X (656). *Decreto pro Potamio Episcopo Braccarensi* [3], Concilium Tolet XI (675) [4] aparte affirmant, vel clare supponunt clericos immunde cum mulieribus conversatos fuisse atque de sua incontinentia eos non erubuisse. Nullum Conciliorum post *Epistolam S Siricii ad Himerium* egerat de filiis clericorum majorum, et multo minus de filiis clericorum hereditatem perentum adipisci optantibus usque ad Concilium Tolet. IX (655) [5]. Concilia priora notabant ancillas ipsorum clericorum, ut complices criminum istorum; concilia autem hujus temporis designant non solum ipsorum ancillas, imo et uxores [6], sed et viduas virginesque Deo devotas atque sacratas [7]. Haec relaxatio potest solummodo comparari relaxationi, contra quam S. Siricius et Himerius

---

getur, servata ab episcopis etiam super hoc scelere in utroque sexu Patrum sententia, quae canonum decretis agnoscitur ordinata. In ulciscendis autem talibus sceleribus, non passim damus accusandi vel puniendi licentiam, nisi aut manifestis indiciis patuerit scelus, aut legitime fuerit idipsum malum accusatum atque convictum; quatenus nulla videamur intentione vel ordine Patrum transgredi praecepta sanctorum, aut obviare sacris regulis antiquorum.» Cf. «Leges Visigothorum antiquiores». Zeumer edidit in Collec. «Fontes juris germanici antiqui». Hannoverae et Lipsiae. 1894, p. 111.

1. Mansi, v. X, col. 1216-1217.
2. Mansi, v. XI, col. 29.
3. Mansi, v. XI, col. 40-41.
4. Mansi, v. XI, col. 140-141.
5. Cf. Concilium Tolet. IX, can. X supra citatum; Mansi, v. XI, col. 29.
6. Cf. Concilium Tolet. VIII, can V; Mansi, v. X, col. 1216.
7. Cf. «Leges Visigothorum antiquiores, etc.», loc. cit.

suas levaverunt voces. Magna quidem inter eas similitudo exstitit.

Haec coelibatus inobservantia serpsit viguitque in omnibus clericorum ordinibus. Episcopi, presbyteri, diaconi et subdiaconi multi continentiae legem oblivioni dederunt, aut eam a se abjicere conati sunt.

Ut momentum hujus relaxationis clarius appareat supervacaneum aut superfluum non erit de unoquoque clericorum ordine peculiariter aliqua tradere.

III.

De incontinentia Episcoporum.

Etsi factum mirum videatur, tamen verum est fuisse episcopos hoc tempore qui impudicitiae et incontinentiae indulserunt, exemplaque carnalis fragilitatis caeteris clericis praebuerunt.

Concilium Tolet. VIII, can. IV, sine ambiguitate declarat: «Quartae congressionis eventu obvius sese nobis obtulit pon»tificalis culminis lapsus, quem ante flere quam disponere »compulsi sumus ex ordine... Adeo ut si deinceps episcopi »fuerint exsecrabilibus flagitiis cum quibuslibet feminis pollui, »aut familiari peculiaritate versari, noverint se irrevocabili »sententia Patrum ulcisci, id est, et loco et dignitate priva«ri [1]». Ex verbis Concilii erui videtur episcopos prae oculis habere defectionem et lapsum alicujus episcopi.

Hic lapsus non fuit unicus. S. Isidorus ad Helladium Episcopum scribens, testatur: «Episcopum Corduvensem ex pon»tificali culmine carnali labe dilapsum fuisse, et de altitudine »honoris in profundo flagitiorum flenda ruina demersum [2]».

Denique circa 655-656, Potamius Braccarensis Episcopus, carnali lapsu omnes pios Episcopos Hispaniae tristitia affecit,

---

1. Mansi, v. X, col. 1216.
2. Cf. S. Isidorum, Epist. ad Helladium...; Migne, P. L., v. LXXXIII, col. 902.

et multis clericis occasionem peccandi tribuit et scandalum. De ipso loquitur Concilium Tolet. X (656) [1].

Relaxatio episcoporum adeo progressa fuit, ut non defuerint indigni qui filias ipsasque magnatum uxores concupiscerent, feminarumque seductores fierent. Caeterum, ait Concilium Toletanum XI, can V (675): «specialitatis ordinem »persequentes decernimus, si quis episcoporum magnati cu»juspiam uxorem, filiam, neptem, seu quolibet alio gradu »pertinentem, quacumque fraude vel subtilitate adulterina »pollutione faedaverit; et honoris proprii gradum amittat, et »sub exilii relegatione perpetuam excommunicationis senten»tiam perferat. Qui tamen circa finem vitae communionis re»medio adjuvandus est» [2].

---

1. Liceat mihi ipsius Concilii verba afferre: in eis videbitur, (non obstantibus episcopis quibusdam indignis et incontinentibus), non defuisse episcopos, quos indigni maxime contristabantur et qui magna pietate et studio correctioni incontinentium incumbebant: «Assumere, aiunt, pote»ramus canoram in tantum fraternae laetitiae tibiam, quia divina pietas »conventum nostrum ad concordiae convocaverat studia. Sed gravius si»strum pro cymbalo sumimus... Unde et vae coram nobis conspicimus »quoniam cecidisse coronam capitis nostri videmus, cum tam nobile in in»fimum corruit, quod in tam sublime sanctitatis optimum stetit. Ecce »enim tractantibus nobis in pace Dei de ecclesiasticis regulis, delatum »est conventui nostro epistolium confusae confessionis et abolendae »subscriptionis, quod Potamius Braccarensis Ecclesiae Episcopus de fac»tis propriis, suisque verbis annotarat et articulis; quo reserato quid »obliteranda pagina et abolenda litterarum panderent elementa, fletibus »potius quam sermonibus lacrimosa concio recensuit. Tunc solitarie »adunatis pontificibus Dei, praedictum Episcopum adesse coram nobis »fecimus. Quem singultibus aggredientes potius quam loquelis, reseratam »illi suae deformitatis et nostrae confusionis scripturam protulimus: »quam accipiens ac recurrens... suum actum suique oris eloquium... »asseruit, quod illic relegendo praevidit. Rursum divini nominis conte»statione hunc adjurantes, obtestati sumus ut, an de se ipse sponte men»dacium diceret, aut alicujus violentia premeretur et perterritus talia »enarraret, veraciter indicaret. Qui mox flebili voce et clamore singul»tuum cum unius Dei nominis juramento clamavit, se et vere de eadem »mala confiteri et ad haec confitenda nulla se violentia pergravari. Unde »etiam ferme per novem menses sponte deseruisse regimen ecclesiae »suae et ergastulo quodam pro admisso flagitio acturus poenitentiam se »conclusisse edixit. Tunc per fidelem confessionem ejus agnito quod »tactu femineo sorduisset, et declarato, licet hunc paterna antiquitas »sacris regulis dejicere ab honore decernat, nos tamen miserationis jura »servantes, non abstulimus nomen honoris, quod ipse sibi sui criminis »confessione jam tulerat; sed valida auctoritate decrevimus, perpetuae »poenitentiae hunc inservire officiis et aerumnis.» Mansi, v. XI, col. 40-44. Potamius erat Episcopus Metropolitanus provinciae Galleciae.

2. Mansi, v. XI, col. 139-141.

Incredibile quidem videtur fuisse episcopos, qui in talia crimina lapsi sunt. Tamen factum certissimum est, etsi Concilium aperte non affirmet. Concilium duxit necessarium talem edere canonem; aliquod ergo habuit fundamentum.

Opinor Concilium talem canonem praescribere numquam cogitavisse, si non fuissent episcopi horum criminum rei.

Non omnes igitur episcopi exempla continentiae suis clericis dederunt, non pauci a corruptione generali abrepti fuerunt, aliosque clericos in exitium praecipitarunt.

Superfluum est animadvertere majorem episcoporum partem hanc indignam viam secutam non fuisse. Hoc infertur ex ipsa frequentia, qua episcopi probi et fideles in conciliis levarunt voces suas contra incontinentiam clericorum; simulque colligitur eos firmissimum habuisse propositum illorum relaxationem impugnandi, atque a pugna non desistendi, donec clerici relaxati mores suos corrigerent.

Exempla episcoporum non paucos clericos in incontinentium castra traxerunt, ut dictum est, et in sequenti paragrapho probabitur.

IV.

Presbyterorum et diaconorum incontinentia.

Non solum episcopi incontinentiae laxarunt habenas; presbyteri, plurimique diaconi eorum exempla imitati fuerunt atque secuti, inhonestasque consuetudines cum mulieribus habuerunt. Fl. Recesvintus Rex asserit se compulsum fuisse «inlicitis ausibus» presbyterorum et diaconorum finem imponere [1]. Relaxatio ipsorum adeo generalis erat atque communis, ut eorum filii cogniti notique essent omnibus [2].

Eorum protervitas magna fuit. Omnes regulas praescriptio-

1. Cf. «Leges Visigothorum antiquiores», Zeumer, in «Fontes juris germanici antiqui», p. 111.
2. Cf. Concil. Tolet. IX, can. X; Mansi, v. XI, col. 29.

nesque praecedentium conciliorum violarunt, atque contempserunt. Fuerunt quidam, qui ad familiaritatem et cohabitationem mulierum rediere, cum eisque turpem egere vitam [1]; quidam qui matrimonii usum fecerunt [2]; quidam qui in sacris ordinibus constituti, conjugia contrahere pertentarunt [3]. Ipsae virgines viduaeque Deo sacratae incontinentiae et luxuriae clericorum victimae fuerunt [4].

Concilium VIII Tolet. exponit praetextum, quo clerici suam excusabant incontinentiam: «Quosdam enim aut eventu »necessitatum aut metu periculorum adeptos fuisse novimus »ecclesiasticarum officia dignitatum; et quoniam cum illis »haec imponerentur, id sibi fieri noluisse testantur, idcirco .. »ad pristina pertentant conjugia moresque redire» [5].

V.

Incontinentia subdiaconorum

Generalis coelibatus relaxatio et inobservatio sicut episcopos, presbyteros et diaconos, ita etiam non paucos subdiaconos in suas traxerunt partes. Sed si attente perspicitur et consideratur res, apparet quandam differentiam exstitisse inter relaxationem episcoporum, presbyterorum, diaconorum et relaxationem subdiaconorum; hac de causa de istis specialem adjeci paragraphum. Episcopi, presbyteri et diaconi non observant continentiam, sed tamen neque impugnant eam; oblivioni tradunt leges et praecepta super coelibatu datas, non asserunt tamen eas esse injustas; asserunt se necessitate aut metu coactos ecclesiasticos gradus adeptos fuisse, ideoque ad perpetuam non teneri continentiam; sed non affirmant alios clericos, qui libere et sine coactione in sacris ordinibus

1. Cf. Concil. Tolet. VIII, can. V; Mansi, v. X, col. 1216.
2. Cf. Leges Visigoth. antiq., loc. cit.
3. Ibidem.
4. Ibidem.
5. Cf. Concil. Tolet. VIII, can. V; Mansi, v. X, col. 1216.

erant constituti, ad eam non teneri. Subdiaconi vero non so, lum non observant practice, sed eam doctrinaliter impugnant-docentes et propugnantes officium subdiaconatus non imponere talem obligationem [1]; ideoque subdiaconos sicut clericos minores non solum matrimonio uti posse, sed etiam novum matrimonium verum contrahere [2]. Sic testificatur Concilium »Toletanum VIII, can. VI: «Nam relatum est nobis, ait, quos»dam subdiaconos, postquam ad sacri hujus ordinis pervenerint »gradum, non solum carnis immunditia sordidari, cum scriptum »sit mundamini qui fertis vasa Domini; sed etiam quod dictu »quoque nefas est, novis uxoribus copulari; asserentes hoc »ideo sibi licere, quia benedictionem a pontifice se nesciunt »percepisse. Pro inde omni excusationum discisso velamine, »id praecipimus observari; ut cum idem subdiaconi ordinan»tur, cum vasis ministerii benedictio eis ab episcopo detur, »(sicut in aliquibus ecclesiis vetustas tradit antiqua, et sacra »dignoscitur consuetudo substare prolata) omni penitus ab »illis sorde mulierum ac familiaritate remota» [3].

---

1. Cf. Concilium Tolet. VIII, can. VI; Mansi, v. X, col. 1217.
2. Ibidem.
3. Mansi, Canones, qui circumferuntur nomine Concilii Carthaginens IV (398) vel «Statuta Eccl. antiqua» sequentem ritum in ordinationibus servare praescribit can. II: «Episcopus cum ordinatur, duo epi»scopi ponant et teneant evangeliorum codicem super caput et cervicem »ejus; et uno super eum fundente benedictione, reliqui omnes episcopi »qui adsunt, manibus suis caput ejus tangant».

Can. III: «Presbyter cum ordinatur, episcopo eum benedicente et ma»num super caput ejus tenente, etiam omnes presbyteri qui praesentes »sunt, manus suas juxta manum episcopi super caput illius teneant».

Can. IV: «Diaconus cum ordinatur solus episcopus qui eum benedicit »manum super caput illius ponant: quia non ad sacerdotium, sed ad mi»nisterium consecratur».

Can. V: «Subdiaconus cum ordinatur, quia manus impositionem non »accipit, patenam de episcopi manu accipiat vacuam et calicem vacuum. De manu vero archidiaconi, urceolum, aquamanile et manutergium.» Mansi, v. III, col. 979-981.

Clerici minores accipiebant ut subdiaconi solummodo instrumenta sui ministerii, sive e manu episcopi, sive e manu archidiaconi. Mansi, ibidem. Circa originem horum canonum cf. Ch. Hefele, Concilien Geschichte, (vers. gall.) v. II, p. 103, (not. 2.)

Hunc ipsum ritum observatum fuisse etiam in Hispania patet ex multis locis. S. Isidorus, «De ecclesiasticis officiis», lib. II, cap. V, n.º 9. et cap. X n.º 2, asserit clericos majores per manus impositionem ordinari. Migne, v. LXXXIII, col. 782 et 791. Concilio Hispalensi II (619) hoc factum fuit propositum: dum presbyter unus et duo levitae sacrarentur, episcopus oculorum dolore affectus manum suam super eos tantum posuit, et

Mirum certe primo conspectu videtur, quod subdiaconi talem invocent rationem, ad suam vivendi rationem propugnandam. Numquam enim dictum est clericos ad coelibatum teneri, quia impositionem manus benedictionemque ab episcopo in ordinatione accipiebant. Talis ratio certe a Patribus non fuit invocata. Tamen subdiaconorum mens aperta et patens est: «asserentes hoc sibi licere (usum matrimonii), quia »benedictionem a pontifice se nesciunt percepisse», ait Concilium. Episcopi appellant talem rationem «excusationem», sed tamen eam non contemnunt; et praecipiunt ut eis benedictio impertiatur.

Re attente perspecta, intelligere atque comprehendere possumus, quare subdiaconi supradicti hac utuntur «excusatione». Solummodo episcopis, presbyteris et diaconis benedictio et manus impositio impertiebatur, subdiaconis vero instrumenta sui ministerii tradebantur. Haec erat consuetudo generalis in Hispania, ut in praecedenti nota demonstratum fuit atque declaratum. Aliud factum certum erat, solummodo eos, qui benedictionem in ordinatione accipiebant, ad conti-

---

presbyter quidam illis benedictionem dedit. Concilium respondit «eos non consecrationis titulum, sed ignominiae potius elogium percepisse.» Mansi, v. X, col. 558; et eadem ratione Concilium Caesar-augustanum II (592), can. I jubet, «ut presbyteri qui ex haeresi ariana ad sanctam catholicam Ecclesiam conversi sunt... acceptam denuo benedictionem presbyterii sancte et pure ministrare debeant». Mansi, v. X, col. 471.

S. Isidorus de ordinatione subdiaconorum scribens in opere citato «De ecclesiasticis officiis», ait lib. II, cap. X, n. 2: «De quibus quidem placuit Patribus, ut quia sacra mysteria contrectant, casti et continentes ab uxoribus sint, et ab omni carnali immunditia liberi.. . Hi igitur cum ordinantur, sicut sacerdotes et levitae, manus impositionem non suscipiunt, sed patenam tantum et calicem de manu episcopi et ab archidiacono schiphum aquae cum aquae manile et manutergiuma ccipiunt». Migne, P. L., v. LXXXIII, col. 790-791.

Concludendum videtur ex his testimoniis subdiaconos non accepisse benedictionem manusque impositionem. Tamen Episcopi Concilii Tolet. VII testificantur consuetudinem contrariam «ut benedictio eis ab episcopis detur, sicut in quibusdam Ecclesiis vetustas tradit antiqua, et sacra dignoscitur consuetudo substare prolata». Episcopi, verum est, non asserunt hanc consuetudinem observari in Hispania, et optime poterant loqui de quibusdam Galliae Ecclesiis, in quibus talis certe vigebat consuetudo, ut constat ex Concilio Antisiodorensi (578), can. XX: «Quod si presbyter, quod nefas est dicere, aut diaconus, aut subdiaconus, post acceptam benedictionem infantes procreaverint aut adulterium commiserint... deponantur.»

Caeterum si episcopi de Ecclesiis Hispaniae loquuntur, consuetudo non fuit generalis, et ea certe influxu Ecclesiarum Galliae introducta fuit,

nentiam obligatos fuisse. Haec igitur facta potuerunt subdiaconos in errorem inducere, et occasionem dare ac fundamentum, ad coelibatum impugnandum.

Aliud praeterea factum probabiliter dedit praetextum castitatem violandi subdiaconis incontinentibus. Canones Conciliorum Galliae non erant Hispanis incogniti, non raro enim Concilia Hispaniae Conciliorum Galliae canones afferunt. Concilium autem Antisiodorense hac locutione utitur ad coelibatum inculcandum. «Quod si presbyter, quod nefas est »dicere, aut diaconus, aut subdiaconus, post acceptam bene»dictionem, infantes procreaverint, aut adulterium commise»rint... deponantur» [1].

VI.

Causae hujus relaxationis.

Factum quoddam compertum exploratumque habemus, scilicet relaxationem evenisse post conversionem Visigothorum, et postea quam episcopi, presbyteri et diaconi ariani perpetuam amplexi fuerunt continentiam. Res digna considerationis meditationisque est. Sicut in saeculo quarto conversis Imperatoribus ad Christianismum, et multitudine populorum christiana facta, quaedam generalis relaxatio et coelibatus inobservatio in Ecclesia serpsit; ita regibus Visigothorum catholicis factis, arianisque a sua haeresi conversis, eadem relaxatio suas radices in Hispania extendere coepit. Et certe quidem non defuerunt ariani praesertim episcopi, nobilesque homines, qui sicut in prima conversione, rationibus humanis magis quam divinis moti, haeresi terga verterunt et catholicismo nomina dederunt.

Pauci sunt episcopi ariani, quorum notitia ad nos usque

1. Cf. Concilium Antisiodor. can. XX; Mansi, v. IX, col. 914.
Ex hoc canone subdiaconi arguere poterant se ad coelibatum non teneri, quia benedictionem nondum acceperant.

pervenit; et requidem vera ipsi non fuerunt exempla sanctitatis neque virtutis. Paulus, Diaconus Emeritensis, quemdam Episcopum arianum nomine Sunnae, his depingit verbis: »Erat vir pravi dogmatis fautor, homo funestus, vultu teterri»mus, aspectu odibilis, moribus pravus, verbis obscenus,... »delictis obnoxius, perpetuae mortis nimis ultroneus ..» [1]. Ii episcopi ariani erant praesertim aulici qui reges ambiebant, eorumque gratias aucupari venarique optabant Omnibus notum est tempore Leovigildi eos regis servos fuisse atque mancipia. Et tamen illi, qui circa annos 580-586 tam saeve tamque crudeliter catholicos persecuti fuerunt, anno 588 catholicismum amplexi sunt. In Concilio Tolet. III (589) octo episcopi, multique presbyteri, et diaconi catholicam fidem signarunt, haeresimque damnarunt. Nescimus autem aliud miraculum accidisse, quod tot homines ad catholicorum traheret partes, nisi Regis conversionem atque mutationem. Certum habeo unam causarum relaxationis conversionem externam multorum Visigothorum fuisse [2].

Alia relaxationis causa, mea sententia, in ipsa institutione clericorum et monachorum invenienda est. Paucis mentem meam aperiam: Episcopi et Concilia Hispaniae cogebant homines praesertin juvenes ad clericatum vel monachi statum amplectendum. Verba non sunt nimis dura. Concilium enim Tolet X (656) ita se exprimit can. VI... «Ideoque si in quali»bet minori aetate, vel religionis tonsuram, vel religioni debi-

---

1. Cf. Paulum, Diac. Emer., «De vita Patrum», cap. XI; Migne, P. L., v. LXXX, col. 141.

2. Haec mea sententia non opponitur neque contradicit eis, quae in paragrapho prima hujus capitis asserui; scilicet tempus, in quo coelibatus et continentia clericorum maxime floruit viguitque, fuisse initium saeculi septimi, post conversionem Visigothorum; Opinor, igitur, et mea sententia factis congruit, sanctos Episcopos Leandrum, Isidorum, Massonam, Braulionem, Ildephonsum aliosque plurimos, qui Visigothorum conversionis causae instrumentaque fuerunt, suis verbis, exemplis, auctoritate atque influxu relaxationi moram impedimentumque attulisse, atque studium pietatemque primam sustentasse. Videmus enim, his Episcopis vita functis, ut S. Isidoro, S. Braulione, S. Ildephonso, relaxationem atque coelibatus inobservantiam serpere atque totam Hispaniam pervadere, seque diffundere coepisse Opinor igitur clericos sanctos piosque, persecutionibus Leovigildi regis probatos, perfectae continentiae exempla fuisse. Post istorum atque forsitan primorum successorum obitum, scilicet saeculo septimo mediante, factionem coelibatui oppositam surrexisse, ut dictum est.

»tam vestem, in utriusque sexus filiis aut unus aut ambo pa»rentes dederunt, certe aut nolentibus aut nescientibus se »susceptam, non mox visam in filiis abdicaverint, sed vel coram »se, vel coram Ecclesia, palamque in conventu eosdem filios »talia habere permiserint; ad saecularem reverti habitum ipsis »filiis quandoque penitus non licebit; sed convicti quod tonsu»ram aut religiosam vestem aliquando habuerint, mox ad reli»gionis cultum habitumque revocentur, et sub aeterna distric»tione hujuscemodi observantiae inservire cogantur. Parenti»tibus sane filios suos religioni contradere, non amplius quam »usque ad decimum aetatis suae annum eorum licentia pote»rit esse. Postea vero an cum voluntate parentum, an suae »devotionis sit solitarium votum, erit filiis licitum religionis »assumere cultum. Quisquis autem vel abolitione tonsurae »vel saecularis vestis assumptione detectus fuerit attigisse »transgressionem, et excommunicationis censuram accipiat, et »religioni semper inhaereat [1]». Canon nullis indiget commentariis. Pueri infantesque qui sive parentum voto, sive pietate aut animi inconstantia clericalem induebant habitum, atque tali induti veste conspectui aliorum se offerebant, ad perpetuam continentiam tenebantur. Notumque omnibus est, quam facile parentes haec emittebant vota, sive desiderio habendi filios allecti, sive prolis numerositate perterriti, vel infirmitatem fugiendi causa moti.

Admiratione igitur affici non debemus, verba Concilii Tolet. VIII legendo: «Quosdam enim aut eventu necessitatum

1. Mansi, v. XI, col. 36-37. Ex hoc canone eruitur praeceptum Concilii Toletani II can. I: «At ubi octavum dicimum aetatis suae annum impleverint, coram totius cleri populique conspectu, voluntas eorum de expetendo conjugio ab episcopo perscrutetur,» in desuetudinem abiisse. Caeterum ipsae scholae episcopales, de quibus locutum fuit, generalis relaxationis corruptionisque effectus perpessae fuerunt. Concilium enim Tolet. IV (633) hunc edidit canonem XXIV: «Prona est omnis aetas ab adolescentia in malum; nihil enim incertius quam vita adolescentium. Ob hoc constituendum oportuit ut, si qui in clero puberes aut adolescentes existunt, omnes in uno conclavi atrio commorentur, ut lubricae aetatis annos non in luxuria, sed in disciplinis ecclesiasticis agant, deputari probatissimo seniore, quem magistrum doctrinae et testem vitae habeant... Qui autem his praeceptis reluctaverint, monasteriis deputentur: ut vagantes animi et superbi, severiori regula distringantur.» Mansi. v. X, col. 626. Concilium non iterat praeceptum investigandi voluntatem et desiderium horum juvenum.

»aut metu periculorum adeptos fuisse novimus ecclesiastica»rum officia dignitatum» [1].

Omnibus nota est historia ficta atque commentitia abdicationis Regis Wambae. Narratur quemdam fuisse hominem nobilem atque potentem, nomine Ervigii, qui regnum sibi appetebat. Ad hunc finem assequendum toxicum miscuit regique praebuit, qui vi veneni gravi somno pressus fuit. Ervigius occasionem non neglexit et regi dormienti clericalem imposuit tonsuram. Miserrimus Wamba a somno expergefactus, tonsuram animadvertens, et se ipsum in aeternum clericum factum videns, regnum abdicare coactus fuit. Haec historia, ut dixi, non est vera; tamen nobis aperit atque manifestat mentem illorum hominum circa necessitatem amplectendi religionem, qui tonsuram aut habitum religionis semel sumpserunt.

Haec igitur durissima Ecclesiae Hispaniae disciplina necessario, ut patet, relaxationi favit.

Inobservationem coelibatus, magna morum corruptio et incredibilis ignorantia comitatae fuerunt seseque adjunxerunt. Concilium Tolet. XI (675) necessarium duxit poenas statuere contra episcopos «qui in tantam obstinationis efferveunt dis»cordiam, ut non solum illos ab ira occasus solis non revocet, »sed nec annosa quidem transactio temporum ad bonum »caritatis reclinet» [2], contra episcopos qui aut per se aut per alios aliena bona diripiunt; [3] «aut volentes homicidium »fecerint [4] aut, quod morte plectendum est, sua sententia »judicare praesumunt, aut truncationes quaslibet membro«rum praecipiunt»; [5] contra eos denique, qui «pro baptizandis »consignandisque fidelibus, pro collatione chrismatis, vel pro»motionibus graduum pretia suscipiunt» [6].

Ne mea verba exaggerata videantur, afferam ipsa verba Concilii Braccarensis III (675): «Audivimus enim quosdam

---

1. Cf. Concil. Tolet. VIII, can. VII; Mansi, v. X, col. 1217.
2. Cf. Concil. Tolet. XI, can. IV; Mansi, v. XI, col. 138-139.
3. Cf. Ibidem, can. V; Mansi, v. XI, col. 139-141.
4. Cf. Ibidem; Mansi, ibidem.
5. Cf. Ibidem; can. VI; Mansi, v. XI, col. 141.
6. Cf. Ibidem, can. VIII-IX; Mansi, v. XI, col. 142.

»schismatica ambitione detentos,.. lac pro vino in divinis sa»crificiis dedicare,... quosdam etiam non expressum vinum in »sacramento Dominici calicis offerre, sed oblatis uvis, popu»los communicare» [1]. Relatum est nobis quod quidam sacer»dotum... vasa Domini in proprios usus assumant, epulas»que sibi in eis comesuras apponunt... et ibi esum carnium »crapulatus assumant, ubi divina visus est celebrasse myste»ria. [2]. Agnovimus quosdam de episcopis, quod in solemni»tatibus martyrum ad ecclesiam progressuri, reliquias collo »suo imponant, ut majoris fastus apud homines gloria intu»mescant, quasi ipsi sint reliquiarum arca, levitae albis indu»ti in sellulis eos deportent» [3].

Hi igitur clerici tali laborantes ignorantia, talibusque vitiis subjecti, thesaurum perpetuae continentiae parvipendere atque spernere debuerunt.

En causas, quae, meo judicio, coelibatus relaxationi faverunt, exposui; consentaneum est durationem hujus relaxationis, studia episcoporum piorum, ad eam tollendam, ipsorumque laborum fructus investigare.

VII.

Coelibatus ecclesiasticus ultimis Imperii Visigothorum temporibus.

Coelibatus relaxatio, de qua in praecedentibus actum est, serpsit et pervicax permansit usque ad annum 675. Allatum fuit jam Concilium Toletanum hoc tempore congregatum, in quo agitur de episcopis adulteris, imo et seductoribus: et Concilium Braccarense praecepit: «ut nullus sacerdotum «sive quisque ille de clero, absque honesto et competente «testimonio, excepta sola matre, cum quibuslibet feminis

---

1. Cf. Concilium Braccarens., can. II; Mansi, v. XI, col. 155.
2. Cf. Ibidem, can. III; Mansi, v. XI, col. 156.
3. Cf. Concil. Braccarens. can. VI; Mansi, v. XI, col. 158.

«secreto se praesumat adjungere» [1]. Quales vero fuerunt coelibatus vicissitudines ab anno 675 usque ad annum 710, in quo «quia reges et sacerdotes legem Domini dereliquerunt, «omnia agmina Gothorum Saracenorum gladio perierunt», ut ait *Chronicon* Sebastiani Salmaticensis Episcopi [2]. Ut verum dicam, non potui certam indubitatamque sententiam mihi efformare circa hanc quaestionem, tum quia moderni scriptores in oppositas abeunt sententias, tum quia testimonia certa apertaque desunt, tum etiam quia incerta atque obscura quae habemus, maxime inter se dissentiunt Cum igitur res ita se habeat, satis duco, quid antiqua documenta continent, paucis exponere verbis.

Chronicon Sebastiani Episcopi Salmaticensis sub nomine Alphonsi III Regis evulgatum, sequentibus verbis vitam Witizae Regis enarrat: «...Iste quidem probrosus et moribus »flagitiosus fuit, et sicut equus et mulus, quibus non est intel»lectus, cum uxoribus et concubinis plurimis se inquinavit: et »ne adversus eum censura ecclesiastica consurgeret, concilia »dissolvit, canones obseravit, (omnemque religionis ordinem »depravavit), episcopis, presbyteris et diaconibus uxores ha»bere praecepit. Istud quidem scelus Hispaniae causa pereun»di fuit: et quia reges et sacerdotes legem Domini dereli»querunt, omnia agmina Gothorum, Saracenorum gladio »perierunt» [3].

Chronicon Luitprandi n. 174 anno 744 erae Visigothorum (706 erae Christi), ait: «Rex Witiza se effrenate praecipitans »per omne genus flagitii legem nequissimam tulit, ut more »Saracenorum cuilibet laico et clerico liceret, quotquot pos»set alere uxores et concubinas impune domi suae reti»nere» [4].

Deinde sub. n. 181 anno 747 (709): «Constatinus papa mo»net Witizam, ut legem abroget de ducendis uxoribus per »sacerdotes; alioquin eum regno privatur; ille vero impatiens »irae, nihilque melior factus, minatur Sanctissimo Papae»...

---

1. Mansi, vol. XI, col. 157.
2. Migne, P. L., vol. CXXIX, col. 1114.
3. Cf. Chronic. Sebastiani, Ep. Salm.; Migne, loc. cit.
4. Migne, P. L., v. CXXXVI, col. 1061.

Et denique sub n. 188, anno 749 (711): «Rex Rudericus, »in principio regni sui, lege lata, legem Witizanis de clericis »uxorandis, et alendis simul compluribus uxoribus, abro- »gavit»... [1].

Lucas Tudensis in *Chronicon mundi* (aera 733), dicit: «Et »ne adversus eum insurgeret sancta Ecclesia, episcopis. pre- »sbyteris, diaconibus et caeteris Ecclesiae Christi ministris »carnales uxores lascivus Rex habere praecepit. Et ne obedi- »rent Romano Pontifici, sub mortis interminatione prohi- »buit.»

Demun praecipuum testimonium desumitur ex *Epist S. Bonifacii* Episcopi Moguntini ad Echeldobaldum Anglorum Regem: «Si gens Anglorum... spretis legalibus connubiis, »adulterando et luxuriando, ad instar Sodomiticae gentis, »faedam vitam duxerit, de tali commistione meretricum »aestimandum est degeneres populos, et ignobiles, et furen- »tes libidine fore procreandos, et ad extremum universam »plebem ad deteriora et ignobiliora vergentem, et novissime, »nec in bello saeculari fortem, nec in fide stabilem, et nec »honorabilem hominibus, nec Deo amabilem esse venturam; »sicut aliis gentibus Hispaniae et Provinciae et Burgundionum »populis contigit: quae sic a Deo recedentes fornicati sunt, »donec Judex omnipotens talium criminum ultrices poenas, »per ignorantes legem Dei, id est, per Saracenos venire et »saevire permisit» [2].

Memorata testimonia fere omnes scriptores qui de Ecclesiarum Hispaniae rebus egerunt, in suas traxerunt partes. P. Joannes Mariana affirmat: «Magno numero concubinas »uxorum justarum loco cultuque habuit (Witiza) lege lata, ut »id cunctis liceret tum promiscuo populo, et proceribus, tum »viris sacratis» [3]. Atque eamdem sententiam secuti fuerunt Rudericus Archiepiscopus Toletanus [4]; Alfonsus de la Spi-

---

1. Cf. Ibidem; Migne, loc. cit., col. 1062-1063.
2. Cf. S. Bonifacium. Episc. Mog ; Epist. ad Echeldobaldum; Migne, v, LXXXIX, col. 760-761.
3. Cf. J. Mariana; Hist. Hisp., lib. VI, cap. 19
4. Cf. De rebus Hisp. cap. 15.

na [1]; Joannes Ferreras [2] et Aguirre [3]; inter modernos scriptores E. Vacandard [4].

Verum haec testimonia non paucis laborant difficultatibus, quae assensum plenum eis praestare impediunt; et imprimis:

a). testimonia sunt ferme duobus saeculis eventui posteriora. Testimonium S. Bonifacii, quod aliquot annis post eventum scriptum fuit, nihil habet de clericorum incontinentia.

b). Mos erat tempore, in quo haec testimonia fuerunt scripta, imputandi tribuendique subitum inesperatumque Regni Visigothorum exitium populi et praesertim Regis et clericorum relaxationi, criminibus et vitiis. Primusque reus excidiique causa fuit Witiza, cui omnia crimina sceleraque imputabantur absque dubio, propter proditionem fratrum filiorumque ipsorum in acie contra Saracenos instructa.

c). Omnium scriptorum nostri temporis sententia, supracitata testimonia Luitprandi et Sebastiani multa enarrant mentis commenta, ideoque in multis fere nullam merentur fidem.

d). sese opponunt testimonio Isidori Pacensis qui in sua *Chronica,* n 20, magnis eum effert laudibus [5].

Non defuerunt praesertim ultimis temporibus, qui his difficultatibus permoti praedictis testimoniis vim auctoritatemque denegarunt, bonumque nomen Witizae restituere conati sunt [6] hodieque praevaluit opinio Witizam non fuisse tantorum criminum scelerumque reum, neque tot convitiis dignum, praedictosque scriptores exaggerasse, multaque facinora quorum nunquam reus fuit, ei tribuisse.

Praesertim vero hoc dicendum est de decreto Witizae attributo circa matrimonia clericorum. Etenim:

---

1. Cf. Alfonsum de la Spina; Fortalitium Fidei, lib. IV, cap. 8.
2. Cf. Joan. Ferreras; «Historia general de España» ap. E. Vacandard, op. cit., v; cit., p. 111, (not. 4).
3. Cf. Aguirre; «Dissertatio de antiqua disciplina Ecclesiae Hispaniae circa clericos lapsos in peccatum carnis». Collectio maxima, v. IV, p. 163.
4. Cf. E. Vacandard, op. cit., loc. cit.
5. Migne, XCVI, col. 1261-1262.
6. Cf. Mayans, «Defensa del Rey Vitiza»; et Masdeu, «Historia crítica de España», v. X, p. 220.

1). memorati scriptores, qui duobus fere saeculis post eventum suas *Chronicas* composuerunt, nullum afferunt decretum.

2). Non solum Isidoro Pacensi, verum sibi ipsis contradicunt. Luitprandus siquidem ait, Witizam tulisse «legem ne»quissimam, ut more Saracenorum cuilibet laico et clerico »liceret, quotquot posset alere uxores et concubinas impune »domi suae retinere.» Sebastianus vero .. et ne adversus eum »censura ecclesiastica consurgeret... episcopis, presbyteris »et diaconibus uxores habere praecepit...»

3). Nulla Summi Pontificis epistola vel admonitio ad Regem Vitizam missa, ut ait Luitprandus, existit poenaque, qua ei minatur, scilicet, privatio regni, est vanum mentis commentum, quod saeculis posterioribus tantummodo excogitari potuit.

4). Luitprandus in errore versatur, dum affirmat Rudericum ultimum Visigothorum Regem dedisse legem, qua «legem »Witizanis de clericis uxorandis et alendis simul compluribus »uxoribus, abrogavit.» Hujusmodi lex fuit data a Recesvinto; sed quia in aliquibus codicibus nomen Ruderici Regis inveniebatur, ut testatur Alvarus Gomez in *Vita Synderedi Archiespiscopi Toletani*, laudatus scriptor in errorem ductus fuit.

Priusquam finem huic capiti imponamus, oportet et rationes documentaque afferre, quae observationem coelibatus hisce ultimis Regni Visigothorum temporibus demonstrare videntur.

Primum testimonium eruitur ex silentio conciliorum. Ab anno 681 usque ad Regni eversionem octo concilia celebrata fuerunt; et tamen ne ullum quidem eorum mentionem de inobservantia coelibatus fecit, neque ad eum propugnandum, suas levarunt voces, quod sane mirum est, si tanta fuit coelibatus relaxatio. Omnia vero concilia praecedenti tempore congregata correctioni et emmendationi dederunt operam.

Praeterea sancti et optimi praesules Ecclesiis Hispaniae praefuerunt, praesertim Ecclesiae Toletanae, de quibus affirmari non licet fuisse «velut canes non valentes latrare».

Quidquid igitur benevolo lectori magis arridet, vel probabi-

le videtur, ipse amplectatur; satis mihi est diversas exponere sententias, ipsarumque adducere rationes, et demun affirmare me nihil pro certo vel indubitato habere circa observationem coelibatus ultimis temporibus Regni Visigothorum.

CONCLUSIO

Ad optatum finem incoeptum perduxi propositumque meum scilicet: *Historiam coelibatus in Hispania ab initio Ecclesiae usque ad saeculum VIII* contexere assecutus sum, jamque opusculum meum finem attingit.

Si oculos nostros ad praeterita convertimus, atque uno in conspectu dicta perspicimus, compertum exploratumque nobis erit Hispaniam fuisse primam regionem, quae coelibatus introduxit legem, primam quae, saeculo quarto ad finem currente et saeculo quinto incipiente reformationi observantiae coelibatus operam dedit, et in qua, saeculo sexto et septimo, coelibatus observantia floruit viguitque; exceptis 40 annis, scilicet ab anno 550 usque ad annum 580 circiter, in quibus illa magna serpsit relaxatio. Legantur concilia, quae saeculo sexto et septimo in Gallia locum habuerunt, et videbimus quot difficultates, quot obstacula coelibatus observantiae in hac regione se opposuerunt. Concilia Agathense (506), can. IX, Aurelianense III (538), can. VII, Aurelianense item IV (541), can. XVII, et Aurelianense V (549,) can. IV, Turonense II (567), can. XII et XIX, Synodus Antisiodorensis (578) can. XX-XXI, Concilium Masticonense I (581), can. XI, [1] aliaque necessarium duxerunt legem coelibatus iterum iterumque inculcare [2]. Unde concludere possumus legem coelibatus fuisse facile in Hispaniam introductam, et bene postea observatam. Nec huic conclusioni opponitur consuetudo clericorum cohabitandi cum feminis. Haec enim consuetudo in

1. Mansi, v. VIII, col. 326; et v. IX, col. 13-14; col. 116; col. 129; col. 795, et 797, col. 914; col. 933-934.
2. Cf. E. Vacandard, op. cit. v. cit., p. 105-1 06.

omnibus regionibus se diffudit, radicesque jecit fortiores quidem quam in Hispania.

Aliud factum admiratione nos afficit, quando dicta attente relegimus, scilicet, quam facile coelibatus subdiaconorum introductus fuit.

Denique huic conclusioni finem dare nolo, priusquam comparationem quamdam instituam inter coelibatum saeculi quarti et coelibatum saeculorum sexti et septimi in Hispania.

Dictum fuit in alio loco clericos incontinentiae causa depositos atque a clero ejectos, a lege coelibatus immunes fuisse, atque e contrario monachos et sanctimoniales nullo praetextu potuisse ad saeculum reverti saeculo quarto [1].

Haec autem clericorum depositorum licentia explicata fuit ex ipso statu rerum; ex eo quod nempe lex coelibatus adhuc in cunabulis erat, ideoque imperfecta atque incompleta legislatio.

Tempore autem Visigothorum illicitum erat prohibitumque episcopis, presbyteris, diaconis et subdiaconis depositis atque a clero ejectis, conjugalem prosequi consuetudinem.

Iam Concilium Tolet. II anno 531 punit eos excommunicationis poena. «Cavendum tamem est his, ne quando suae spon»sionis immemores, aut ad terrenas nuptias aut ad furtivos »concubitus ultra recurrant. Quod si fecerint; ut sacrilegii rei »damnentur, et ab Ecclesia habeantur extranei» [2].

Concilium Tolet. III anno 589 etsi aperte non prohibeat clericis ejectis usum matrimonii, eis impedit usum facere; determinat enim et praecipit, ut mulier in clerici domo habitans, «quae infamem suspicicionem generare potest» (ideo»que etiam uxor) «venumdetur et pretium pauperibus eroge»tur» [3]. Impossibile igitur eis erat carnale frui commercio.

Et denique Concilium Tolet. VIII haec scribit «...pervenit »ad totius Concilii sacrum auditum, quosdam sacerdotes et »ministros obliviscentes majorum veteribus constitutis, aut »uxorum, aut quarumcumque feminarum immunda societate

1. Cf. Cap. I, parag. VII, p. 32-37.
2. Cf. Concil. Tolet. II. can. I; Mansi, v. VIII, col. 785.
3. Cf. Concil. Tolet., III, can. V; Mansi, v. IX, col. 994.

»et execrabili contagione turpari... Mulieres vero seu liberae, »sint, seu ancillae, hac illis turpitudine sociatae, ita omnibus »modis separentur, et monasterio tradantur, ut ulterius ad »conscios sui criminis revertendi omnem habeant aditum »denegatum. Illi vero si omnino coerceri nequiverint, usque »ad exitum vitae suae monasterii deputati, poenitentiae disci»plinis monasticis maneant omnino subjecti» [1]. Animadvertendum est Episcopos Concilii loqui de uxoribus clericorum, ac de caeteris mulieribus nullam distinctionem facere. Eae perpetuo a clericis etiam viris suis separantur atque disjunguntur.

Non disceptant igitur episcopi de natura sacramentorum, num majores ordines matrimonio impedimentum sint; num clerici capaces sint matrimonium contrahendi, sed practice rem solvunt; clerici majores neque conjugium contrahere, neque contracto umquam uti possunt.

En finis mei opusculi, ea quae mihi vera ut vera, ea quae mihi dubia videbantur, ut dubia exposui. Magna afficiar laetitia si scriptores historiae ecclesiasticae, sive specialis Hispaniae labore meo uti possunt, aut saltem si meum opusculum novis investigationibus occasionem dat.

---

1. Cf. Concil. Tolet, VIII, can. V; Mansi. v. X, col. 1216-1217.

ERRATA ET CORRIGENDA

Pág.	Lin.	Loco:	Lege:
XXXIII	9	affirmanturque	affirmantque
XXXIII	19	desumpta	desumptam
7	20	Concilis	Concilio
12	12	coelibatum	coelibatu
16	18	necesarium	necessarium
19	27	progressu	progressus
25	26	accedendi	accendendi
25	28	males	moles

Caetera omnia quae tanti momenti non sunt benevolus lector corrigere potest.